

2
6
216







2. 6. 216

Ex libris eruditissimi Viri Antonij Magliabechij

XXXI
MOR

TRACTATVS

# DE DIVORTIIS, IN QVO PLERAEQVE QVAESTIONES CIRCA MATERIAM DIVORTIORVMIN CIDENTES DECIDVNTVR.

*PER GEORGIVM MOR NIGRIMONTANVM, BRIGANTINI SYLVANVM Vtriusq; Iuris Doctorem congestus, in duas diuisus Partes, & ad vtilitatem eorum, qui in vtroq; foro, Ecclesiastico & Ciuili versantur, in lucem editus.*

ADIECTA SVNT SINGVLIS CAPITIBVS SVMMARIA, & IN FINE INDEX RERVM & verborum locuples.



FRIBVRGI BRISGOIÆ.

EXCVDEBAT MARTINVS BOECKLERVS,

M. D. XCVIII.



# ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSImo,

PRINCIPI & DOMINO, DOMINO ANDREÆ CARDINALI AB AVSTRIA, TITVLI S. MARIÆ nouæ, EPISCOPO Constantiensi & Brixinensi, Domino Augiæ maioris, Administratori Ducalium Monasteriorum Murbacensis & Lutrensis, S. R. I. Marchioni Burgouiæ, Lantgrauio Nellenburgi, &c. Domino suo Clementissimo S. P. & in ista mira & multiplici gubernandi vigilantia perpetuam fœlicitatem.

PRIVATO *studio & horis succisiuis, Illustrissime & Reuerẽdissime Princeps, Domine Clemẽtissime, tractatum de Diuortiis ex ipsis vtriusq; iuris fontibus & probatissimis authoribus collegi, & in hanc, quæ cernitur, methodum redegi, quem cùm aliqui viri eruditi apud me cernerent, eisq; iste meus labor non displiceret, extemplò mihi adhortatores & suasores extitêre, ut eum in communem Studiosorum vsum,*

 *& præser-*

*& præsertim eorum, qui vtroq; in foro, Ecclesiastico & sæculari versantur, publicum facerem. Ego verò diu multumq; eorum adhortationibus & suasionibus renitens, & eundem in vulgare planè detrectans, ea ratione, quod intelligebam, eũ dignũ non esse, qui huius delicatissimi sæculi lucem videret, quippe qui sale iudicij & puluere eruditionis conditus & conspersus non esset: Nam hoc versutissimo sæculo nihil in lucem edendum est, quod non omnibus numeris & partibus suis sit absolutum. Verùm tandem eorum precibus & admonitionibus victus, decreui eum communem & publicum facere, sed priusquam hoc admitterem doctissimorum & Catholicorum virorum examen & censuram subiret. Nam vt hoc fieret, & ratio ætatis meæ, & ipsa materies in qua de re non leui, sed maxima, nempe dissolutione Matrimonij agitur postulat. Etenim quàm turpe atq; perniciosum sit & ipsi homini & Reipub. Christianæ aduersum, & calamitosum, proprium iudicium doctiorum & sapientiorum iudicio non velle subijcere, res ipsa, pró dolor, testatur. Vnde enim tot hæreses & schismata originem sumpserunt, nisi ex proprio, arroganti & priuato iudicio, nolente meliori & saniori iudicio subijci ab eodemq; corrigi & emendari? Quare palinodiam canere, vt aiunt, mihi indecorum non erit, modó grauissimi Viri, qui in vtriusq; Iuris studijs quibus me ipsum expono, ætatem propè omnem exegerunt, hoc rude, & informe opus emendent & castigent, & tum demum publico decreto typis dignum iudicent. Cæterum in multis ab æmulis incusabor. Nam primò calumniabuntur, me nihil noui, sed trita & antiqua tractare. Deinde criminabuntur, me plurima ab alijs fuisse mutuatum, huicq; exili & sterili tractatui infarsisse, sicq; me aliena pro meis vendere. Quibus ego respondeo, quòd me non lateat, ac proinde ingenuè & can-*

*dideprofiteor, me plurima peruulgata & trita, & ab aliis multó elegantius prodita tractare: quid enim dici potest, quod non sit dictum prius? Sed quæ hîc tracto, ea ex ipsis iuribus ac receptissimorum & probatissimorum Doctorum Commentariis & scriptis deprõpsi, quæ ad praxim & vsum vtriusq; fori ita accommodata & communibus Doctorum calculis approbata & illustrata sunt, ut beneuolo lectori (neq; enim maleuolis iste tractatus publicatur, quos suæ sorti & inuidiæ relinquo) vsui & vtilitati esse possit. Tantum abest, ut accusari possim, quod mihi aliorum labores & inuenta inuerecundè adscripserim & vendicarim & pro meis impudenter vendiderim, cùm syncera fide Authores, vnde quæq; ad probandum meum institutum desumpserim, allegauerim, & quidem ita allegauerim, ut subinde non solùm ab ipsorum sententiis, sed nec cortice verborum discesserim. Est enim planè ingenui & candidi hominis palam profiteri, per quos profecerit, & quorum operâ & industriâ suis inscriptis sit adiutus. Sed cúm Charybdim vitare conor, incidam in Scyllam, secundùm illud Poëtæ. Nam audaciæ & temeritatis, fortè me arguent, quod hunc rudem & sterilem tractatum Illustrissimæ & Reuerendissimæ tuæ Celsitudini ausus fuerim inscribere & dedicare, cui nil nisi altum & sublime erat offerendum. Ego & mei ipsius humilitatem, & operis tenuitatẽ agnosco, & Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis tuæ sublimitatem exploratam habeo, sed qua nam de causa, tanta cum fiducia & audacia has meas lucubrationes Illustrissimæ & Reverendissimæ Celsitudini tuæ inscripserim, compendio exponam. Primó ut testatam facerem humillimam meam & summam erga Illustrissimam & Reuerendissimã tuam Celsitudinem totamq; serenissimam Domum Austriacam, ex qua eadem ortunda est, obseruantiam & pietatem.*

*Ad quam vehementer incitant, & maximè inflammant Serennissimi Genitoris tuì immortalis memoriæ, Ferdinandi Archiducis Austriæ &c. Domini mei Clementissimi, diuinæ virtutes, quibus ille viuens vtroq; & pacis & belli, tempore claruit. Hic enim nihil prius, nihilq; antiquius habuit, quàm ut in suis hæreditarijs Prouincijs veram & à maioribus suis Roman. Imperatorib. Regib. & Archiducib. Austriæ &c. tot sæculis conseruatam fidem sartam tectam retineret, tueretur atq; propugnaret. Nec dici potest, quanta animi Fortitudine, Iustitia, Constantia, Clementia, & Prudentia multarum diuersarum Regionum & Prouinciarum sibi subiectos populos in auita, vera, Catholica, Apostolica & Romana Religione, debito officio, & alta pace rexerit & conseruârit, cùm aliæ quam plurimæ Prouinciæ hæreticorum furore conquaterentur, labefactarenturq;, nec non intestinis, domesticis, & externis bellis vndiq; miserandum in modum vexarentur atq; deuastarentur. Huius tanti Principis, tantarum virtutum tanquam exasse hæres, vestigijs, Illustrissima & Reuerendissima tua Celsitudo non insistit modò, sed etiam eiusdem Virtutes adæquare videtur, nam eâdem animi Fortitudine, Iustitia, Constantia, Clementia, Pietate, & Prudentia diuersorum Episcopatuum & Dominiorum subditos tam im spiritualibus, quàm temporalibus sapientissimè gubernat & in summa pace & tranquillitate fælicissimè tuetur atq; conseruat. Quamobrem, quin hoc qualicunq; humilimi & optimè affecti monumenti signo, mihi penitus insitum erga Illustrissimam & Reuerendissimam tuam Celsitudinem eiusdemq; Serenissimum Parentem, laudatissimæ memoriæ, & vniuersam Illustrissimam Domum Austriacam, ac singulare seruiendi, quod*

*in me semper viuet, desiderium, posteritati testatum facerem, præterire non potui. Altera huius dedicationis causa est ipsa materia. Nam Illustrissima & Reuerendissima tua Celsitudo est in vtraq; sua & Constantiensi & Brixinensi Diœcesi competens atq; adeò summus diuortiorum & causarum matrimonialium Iudex, vnde planè decuit istum tractatum sub eiusdem summo patrocinio ac tutelari numine in lucem prodire. Quare etsi partus hic meus præmaturus, incomptus atq; informis in publicum exeat, attamen tanto Principi inscriptus dicatusq; eò fortius aduersus æmulos & Zoilos sui nominis armabitur.*

*Accipe igitur, Illustrissime & Reuerendissime Princeps, DOMINE Clementissime, hoc munus pauper & humile in paupere officina confectum, ea, qua soles, benignissima & exporrecta fronte, accipe, inquam, insignum & testimonium humillimæ & summæ meæ erga Illustrissimam & Reuerendissimam tuam Celsitudinem totamq; serenissimam Domum Austriacam obseruantiæ & pietatis, & potius candidum animum, & honestissimum conatum dantis, quàm ipsum donum aspice. Quod si intellexero hunc meum laborem Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudini tuæ non ingratum fuisse, ad maiora conanda & molienda successu temporis pro ratione meæ ætatis & tenuitate ingenii me incendet atq; inflammabit. Deus Opt. Max. á quo bona cuncta profluunt & promanant, Illustrissimam & Reuerendissimam tuam Celsitudinem in hac florenti ætate ad laudem & gloriam nominis sui, & incrementum Eccle-*

*ſiæ ſuæ ſanctæ nobis diutiſsimè ſaluam & incolumem tue-tur & conſeruet. Datæ in Imperiali oppido Yſni. 8. Ca-lend. Auguſti. Anno â Virginis partu.*

1597.

Illuſtriſſimæ atq; Reuerendiſſimæ Ce-ſitudini tuæ.

*Addictiſsimus*

Georgius Mor I. C.

*Cum licentia ſuperiorum*

# TRACTATVS DE DIVORTIIS PARS PRIMA.

## AVTHORE GEORGIO MOR, IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE

### Ex capite primo summarium.

1 *Optima traditio, à definitione proueniens.*
2 *Diuortij definitio & num. 3.*
4 *Diuortium vnde dictum.*
5 *Diuortium differt à Repudio.*
6 *Explicatio definitionis diuortij & num. 7. & 8.*
7 *Diuortium duplex in matrimonio.*
8 *Diuortij causa tractanda apud Iudicem Ecclesiasticum.*
9 *Vicarius Episcopi, potest ex commissione generali Episcopi, tractare causas matrimoniales.*
10 *Diuortij causa an spectet ad Iudicem sæcularem & nu. 11.*
12 *Imperator & Princeps politicus potest de impedimentis matrimonij legem ferre, sed Principe Ecclesiastico approbante.*
13 *Imperator in causis matrimonialibus & reliquis peccatum concer-*

*tum concernentibus, suas leges subiecit Pontificijs canonibus.*

14 *Contrahens nouum coniugium post diuortium viuente adhuc priore coniuge, punitur etiam à Iudice sæculari.*

15 *Repudium apud Iudæos an fuerit licitum?*

16 *Matrimonium aliquando dissoluitur in toto, aliquando in parte & num. 18.*

17 *Iudex Ecclesiasticus illis casibus, quibus diuortium quo ad vinculum fit, etiam incidenter cognoscere potest de dote restituenda.*

19 *Diuisio huius tractatus.*

## CAPVT PRIMVM.

1 TRactaturus materiam diuortiorum, operæ pretium esse existimo ab ipsius definitione initium ducere, cum optima sit traditio, quę à definitione proficiscitur, per quàm planè intelligimus, quid sit id de quo agendum est.

Diuortium igitur est legitima viri ab vxore, vel è contrà separatio. Dicitur legitima, vt non fiat sine lege, 2 vel ratione, nā quos Deus coniunxit, homo non separet. c. si qua. §. sed obijcitur. 31. q. 1. vel plenius definitur hoc modo.

Diuortium est dissolutio matrimonij, quæ viuente vtroq; coniuge apud Iudicem Ecclesiasticum contingit: 3 dictum à diuersitate mentium, vel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, vt inquit text. in l. 2. 4 ff. de diuort & in l. inter diuortium. ff. de verb. signif.

5 Et differt à Repudio, quia diuortium respectu matrimo-

trimonij iam contracti, Repudium verò respectu sponsalium dicitur. l. inter struprum. §. diuortium. & l. inter diuortium, ff. de verb. signif. Horumtamen vocabulorum apud Canones promiscuus est vsus. vt not. c. 1. interueniente, 32. q. 7.

6 Explicanda est breuiter definitio. Dictum est in illa, (dissolutio matrimonij) quæ verba locum generis obtinent: Quia & mors est dissolutio matrimonij & captiuitas & seruitus superueniens, de iuresforum. l. 1. ff. de diuort. Secus tamen de Iure Canonico. Et quandoque matrimonium non solum quo ad thorum & cohabitationem, sed etiam quo ad vinculum dissoluitur. Si enim matrimonium quo ad thorum & cohabitationem dirimatur, propriè dicitur separatio matrimonij, cũ maneat vinculum coniugij. Ex quo apparet duplex diuortium in matrimonio constitui: Vnum quo ad vinculum: Alterum quo ad cohabitationem.

7 Vsitatum tamen est canonib. vt etiam simplicem thori separationem, diuortium appellent, d. can. 1. 32. q. 7. Dictum præterea (quæ viuente vtroq; coniuge contingit) nam si per mortem matrimonium dissoluatur, non est diuortium.

8 Additum deniq; (apud Iudicem Ecclesiasticum) quia cum diuortium sit causa matrimonialis, & res conscientiæ ex legibus diuinis pendens, tractari debet apud Iudicem Ecclesiasticum, etiam si agitur ad diuortiũ quo ad thorum propter fornicationem. Quod probatur ex rescriptis summorum Pontificum, & praxi totius Ecclesiæ, cap. porrò. de diuort. cap. 1. de conuers. coniug. cap. cum sit generale. de foro compet. Panor. in cap. ex quæstione. num. 2, de restitut. spoliat. Concil. Trident. sess.

24. can. vlt. de ſacram. matrim. Hanc communē ſententiam etiam refert & approbat Didacus Couarruuias in Epitome lib. 4. decretal. de ſponſalib. ſecunda parte cap. 7. § 6. num. 8. contra eos, qui cauſam diuortij ob adulterium miſtim ad vtrumque forum pertinere contendunt. Quæ ſententia & praxis Eccleſiæ, probatur etiam ex verbo Dei. Etenim Chriſtus ipſe cauſam de diuortio & repudio non remiſit ad politicum Magiſtratum, ſed ipſe iudicauit. Matth. 5. & 19. Præterea Apoſtolus. 1. Corinth. 7. cauſam coniugij inter fidelem & infidelem ſimiliter determinauit, neq; ad Iudicem ſæcularem eam reiecit. Probatur inſuper quæſtiones matrimoniales ad ſolos Epiſcopos pertinere, cap. multorū. 35. q. 6. text: cæteris clarior in cap. accidentibus. de exceſs. Prælat. teſte Panor. in cap. 1. de conſang. & affinit.

9 Poteſt tamen Vicarius Epiſcopi has tractare etiā ex generali commiſſione Epiſcopi (vt etiā Praxis docet) tex. vbi Abb. prępoſ. in cap. fin. de cognat. ſpirit. text. optimus in c. literas. de reſtit. ſpoliat, quem poſt Hoſt. ibi n. 2. ita intelligit Couarr. in Epit. lib. 4. decretal. de ſponſalibus cap. 8. §. 12. num. 1. vbi ſubiungit eaſdem etiam capitulum ſede Epiſcopali vacante tractare poſſe, quod latè probat & deducit Franciſ. Pauin. in tract. de poteſt. capit. ſede vac. prima parte. quæſt. 10. col. 3. Verum ſupradictæ ſententiæ, duo obſtant argumēta, quibus probari videtur cauſam diuortij ſpectare ad politicū magiſtratum.

10 Nam primò eius eſt de cauſis matrimonialibus cognoſcere qui legem de ijs tulit, cum nemo etiam legem interpretari poſſit, quàm is, qui eam tulit, cap. inter alia vbi gloſ. verb. interpretatio, de ſent. excom. & l. vlt. §. definimus. C. de legib. Atqui Theodoſius Imperator legem tulit

gem tulit de causis matrimonialibus, (tulit enim legem prohibentem coniugia consobrinorum.) Ergò de causis matrimonialibus Imperator, & sic Iudex sæcularis cognoscere & potest, & debet.

11 Deinde, quod Iudex sæcularis in lite super diuortio competens sit, probatur. Concilium Mileuitanum, can. 17. legem de diuortio ab Imperatore petendam esse decreuit: Igitur causa diuortij, ad Iudicem sæcularem pertinet. Sed hæc duo argumenta nihil concludunt,

12 Nam quod ad minorem propositionem primi argumenti, & sic legem Theodosij attinet, respondeo, posse etiam Imperatorem, vt principem politicum de impedimentis matrimonij legem ferre, sed Principe Ecclesiastico approbāte, si enim hic repugnet, lex irrita erit, quod in hac ipsa Theodosij lege cernimus. Nam cum non diu post, eam legem eius filij abrogassent, vt patet ex l. celebrandis. C. de nupt. Et deinde etiā Iustinianus legem tulisset, vt licita essent matrimonia inter consobrinos, §. duorum, instit. de nupt. S. Georgius Papa legem Honorij & Iustiniani apertè reprehēdit in rescripto ad Augustinum Anglorum Episcopum, & contra statuit, inter consobrinos illicita matrimonia esse censenda. Et hæc Pontificis lex, non autem illa Cæsaris in Ecclesia robur obtinuit. can. quædam lex. 35. q. 2. ita pulchrè Robert. Bellarm. controuers. 6. Tom. 2. lib. 1. de sacram. matrim. cap. 32. Deinde, quia nunc matrimonium apud Christianos est sacramentum, & ex illo ciuili contractu sacramentum Ecclesiæ pendet, & sacramentorum dispensatio ad Ecclesiam pertinet, ideo leges ferre circa matrimonium maximè propriè ad Principem Ecclesiasticum spectat, ad Imperatorem verò non, nisi cum consensu &

13 approbatione Principis Ecclesiastici. Præterea Cæsar in causis matrimonialibus reliquisque peccatum concernentibus subiecit leges suas Pontificijs canonibus, vnde authoritatem amiserunt, non enim dedignantur leges sacros Canones imitari.cap.Clerici.de Iudic. & Auth.vt Clerici apud proprios Episcopos. §. si verò Ecclesiasticū. collat 6. Quod si igitur Imperatoriæ leges in materia cōcernenti peccatum non dedignantur sacros Canones imitari, atq; se ijs subijcere.iurib. allegat. Ad quod facit optima illa regula, quam tradit glos. ad cap. Possessor, de reg.Iur.in 6.quæ talis est; Quando de eadem re contrarię inueniuntur leges Imperatoriæ & Pontificiæ, si materia legis est res animarū periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam. Et hoc modo lex Pontificia, quæ habetur cap. fin. de præscript. abrogauit legē Imperatoriam, quæ habetur in C. de præscript. 30. vel 40.annor.etiam cum malâ fide, quia non poterat seruari sine mortali peccato. Quantò magis dicendum, Imperatorias cōstitutiones de matrimonio latas, per sacros Pontificum Canones esse antiquatas, correctas, & abrogatas; in quibus non solum de perpetuâ atq; inuiolabili humanâ societate, sed de maximo sacramēto agitur. Vnde Concil. Trident.suprà allegato loco, Anathema indicit eis, qui audent dicere, causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos. Ad secundum argumentum respondetur. Concilij Mileuitani patres legem Cæsaream desiderasse, non quâ declaretur illicitum esse nouum coniugium post diuortium, vtroque adhuc viuente coniuge; id enim ex Euangelio & Apostolo constare,
14 Patres illi affirmant, sed quâ puniretur seuerè etiam á tēporali potestate, qui crimen illud admitteret. Iam enim

Patres

Patres in Concilio rem ſatis definierunt, & definitioni ſuæ pœnam excommunicationis adiecerunt. ita reſpondet Bellar. d. loco. Qua autem pœna à Iudice ſæculari puniatur, nouum coniugium, poſt diuortiū quo ad thorum, contrahens, priore coniuge adhuc viuente, vide infra cap. 16. num. 30.

Quia verò hodie lege Euangelica, & iure Canonum poſt diuortium ſententiâ Iudicis Eccleſiaſtici factum, nouum coniugium, vtroque adhuc viuente coniuge eſt illicitum (niſi diuortium quo ad vinculum in ijs caſibus fiat, de quibus ſequentibus capitibus agemus) non incōmodè hoc loco à quopiam quæri poſſet; An repudium vel diuortium quo ad vinculum, Iudæis permiſſum fuerit tanquam licitum, an verò tanquam minus malum, cauſa maioris mali euitandi. Et quidam ex Theologis tenent, licuiſſe Iudæis libellum repudij dare vxoribus, ex diuina diſpenſatione ipſis conceſſa ob duritiam cordis. Nam ſcriptum eſt Malachiæ. 2. ſi odio habueris vxorem tuam dimitte eam, dicit Dominus; Ergo licitum fuit Iudæis vxores dimittere. Hoc vlterius comprobatur. Si non eſſet licitus libellus repudij non permitteret lex vetus, repudiatam alij viro nubere; hoc autē permiſit Deuter. cap. 24. Igitur licitus fuit libellus repudij. Præterea lex vetus non puniebat nuptias repudiaturum cum alijs viris iam d. cap. 24. Ergo ſi illæ nuptiæ adulteria erant, lex toleraſſet publica & continua adulteria, quod dici nō poteſt. Igitur licitum fuit repudium. Hanc ſententiam præter alios tenent Palud. in 4. ſentent. diſt. 33. q. 1. art. 2. & ibi Ioan Maior q. 2. Caietan. in Matth. cap. 19. & ibi Abuler. q. 49. & 50. Eckius Homil. 74. de ſacramēt. Petrus à Soto lect. 13. de matrim. In hanc eandem ſententiam

15

tentiā inclinat Robert. Bellar. lib. 1. de matrim. ſacram. quàm ibi pulchrè probat. Verum alij contrariam ſententiam complectuntur, exiſtimantes repudium Iudæis ſemper illicitum fuiſſe, ſed tamen permiſſum, ne maius malum ex inuitis nuptijs contingeret, ob duritiam cordis eorum.

Probatur hæc ſententia primo. Nam Deuter. cap. 24. dicitur, mulierem repudiatam, ſi alteri nupſerit, fieri pollutam & abominabilem coram Domino. Ex quo intelligitur non licuiſſe illi ſecundo nubere, ſed coniugium illud non tam coniugium, quàm adulterium coniugij nomine tectum fuiſſe.

Secundo probatur. Nam Hierem. 3. ſic legitur. Vulgo dicitur, ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterū, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & cōtaminata erit mulier illa? Tu autē fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Quo loco non ſolum polluta dicitur, quæ alteri nupſerit, ſed etiam apertè fornicaria ſignificatur.

Tertio probatur verbis Chriſti, ait enim Matth. 19. Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Ex quibus Chriſti verbis colligitur, ob duritiam cordis Iudæorum permiſſum fuiſſe non vt licitum, ſed vt minus malum: Minus autem videbatur malum, vxorem dimittere, & aliam ducere, quàm ea retenta, cum pluribus paſſim fornicari. Deinde minus erat malum vxorem dimittere, quàm eius vitæ inſidiari, & eam occidere.

Quarto probatur hæc ſententia textu cap. gaudemus, de Diuort. vbi Abb. hanc ſententiā ſequitur. Nam

& Iudæus,

& Iudæus, qui antè susceptam Christianam fidem repudiauit vxorem eam, susceptâ Christi fide, recipere tenetur, etiam si cum alio post repudium contraxerit, si ipsa cum eo sine contumelia Creatoris habitare velit, vt probat text. in d. cap. gaudemus. § qui autem. Sed si antè susceptam Christi fidem liceret Iudæo vxorem dimittere, susceptâ Christianâ fide, non teneretur dimissam legitimè, & ab alio forsan ductam, in vxorem accipere, cap. de infidelibus. de consangui. & affinit.

Hanc sententiam tenent Magist. in 4. sent. dist. 33. & ibid. S. Bonauent. & S. Thom. Richard. Dominic. à Soto & alij, & S. Thom. d. dist. 33. q. 2. ad 2. Col. 3. dicit hanc opinionem frequentius recipi, quæ magis conuenit verbis sacri Euangelij vt fatetur Palud. suprà citato loco, art. 2. Eandem sententiam sequitur & defendit Couar. lib. 4. decret. secunda part. cap. 7. §. 4. num. 4. Vbi subiungit hanc sententiam non esse dimitendam, cui & ego subscribo.

Sed quidquid sit, siue repudium Iudæis fuerit permissum, vt licitum, siue vt minus malum, constat tamen Christum Seruatorem nostrum, libellum repudij reprobasse, & sustulisse, tanquam Iure Euangelico illicitum Matth. 19.

Et quoniam suprá in explicatione secundæ definitionis diuortij dixi, duplex in matrimonio constitutum esse diuortium, vnum quo ad vinculum, alterum quo ad cohabitationem, quod etiam tenet Abb. in Rubr. de diuort. & Couar. d. loco, num. 1.

Nam matrimonium aliquando dirimitur in toto, ita vt vterq; coniugum possit aliud matrimonium contrahere, sicut accidit in maleficiatis; Aliquando verò al- 16

ter coniunx tantùm contrahere poteſt, vt contingit in ea quæ frigido, vel impotenti nupſit, & in Sponſo vel Sponſa, qui, vel quæ, antè conſummationem matrimonij religionem ingreditur. Ea enim quæ frigido aut impotenti nupſit, comperta & comprobata frigiditate & impotentia, alteri licitè nubere poteſt, & Sponſus, vel Sponſa remanens in ſæculo aliud matrimonium cõtrahere poteſt. Omnibus tamen illis caſib. quibus diuortiũ quo ad vinculum fit, poteſt Iudex Eccleſiaſticus incidenter etiam de dote reſtituenda cognoſcere, toto tit. d. donat. inter vir. & vxor. & de dote poſt diuort. reſt. & præſertim c. 3. vbi gloſ. verb. acceſſoriè dicit, quod Iudex cognoſcẽs de principali cognoſcere etiam debet de acceſſorio.

18 Interdum diſſoluitur matrim. in parte, quantũ ad mutuam ſeruitutem debiti cõiugalis, & cohabitationis, ita tamen, vt neuter coniugum aliud matrimoniũ inire poſſit, vt quandò ſeparãtur propter adulterium, vel cauſę religionis, poſt conſummationem matrimonij.

In his autem vir & vxor ad paria iudicantur, nam ſicut viro licet vxorem dimittere, ita & mulieri virum, can. ſi quis vxorem. 31. q. 1.

19 Ideò conſtitui hunc tractatum diuortiorũ in duas diuidere partes; in prima parte agam de illis cauſis, quibus matrimonium in totum quo ad vinculum diſſoluitur, cui parti quæſtiones plurimas, quæ ad illas aliquo modo, quaſi cohærentes ſeu incidentes, ſpectare videbuntur, ſubiungam.

In ſecundâ de ijs tractabo, quib. matrimoniũ manẽte vinculo, quoad mutuã cohabitationem dirimitur, & huic ſimiliter quęſtiones aliquot, circa diuortiũ quoad cohabitationem emergentes, inſeram.

Ex

# Ex capite secundo summarium.

1 *Matrimonium legitimè contractum, regulariter dissolui non potest.*

2 *Nulla regula tam firma, quæ non admittat vnam vel plures exceptiones.*

3 *Matrimonij vinculum antè copulam dirimitur Religionis professione ex authoritate diuina & n.* 4. 5. *&* 11.

6 *Rationes elegantes, cur matrimonium ratum, & non consummatum votis solennibus dissoluatur & nu.* 9.

7 *Tenetur sponsa consentire sponso volenti ingredi Religionem.*

8 *Quare matrimonium ratum, non consummatum, Religionis ingressu, & non item sacrorum ordinum susceptione dissoluatur. & nu.* 10.

12 *Matrimonium non consummatum, non dissoluitur per Episcopalem dignitatem.*

13 *Votum solenne an dirimat matrimonium post ipsum votum contractum, & an item votum simplex & numero* 14.

15 *In re ab vno duobus donata, vel vendita, vter eorum præferatur?*

16 *Matrimonium carnali copulâ consummatum non dissoluitur per votum solenne.*

17 *Sponsa per vim à Sponso suo carnaliter cognita, an nihilominus inuito Sponso religionem ingredi possit?*

18 *Sponsus per vim propriam Sponsam carnaliter cognoscens vtrum puniendus.*

19 *Sponsa religionis professione an amittat sponsalitiam largitatem.*

20 *Matrimonium ratum, nondum tamen consummatum, an Romani Pontificis dispensatione dissolui possit?*
21 *Matrimonium carnali copulâ consummatum non dissoluitur dispensatione Romani Pontificis.*
22 *Ecclesia quandoq; tolerat minus malum, vt maius euitetur.*

## CAPVT SECVNDVM.

1 ETsi pro regula in causa matrimoniali traditur, matrimonium legitimè contractum dissolui non posse: Cuius est ratio, quod à Deo coniuncti, ab homine separari nec debeant, nec valeant. c. quos Deus. 33. q. 2. & l. eius. & l. nihil, ff. de Reg. Iur.

2 Quia tamen nulla regula adeò firma est, quæ non admittat vnam, vel plures exceptiones; Ideò hoc & sequentibus duobus capitibus agam de huius regulæ exceptionibus, seu causis, quibus matrimonij vinculum soluitur.

3 Prima ergò causa, quâ matrimonium ratũ, & nondum subsecutâ copulâ consummatum, quo ad vinculũ penitus dissoluitur, est professio religionis. cap. 2. & cap. Ex publico, de conuers. coniug. Ad hanc autem matrimonij dissolutionem, ingressus religionis, & fuga sæculi ab Ecclesia ex proposito & seriò exigitur. d. cap. 2. Huic dicto non oberit ratio quædam, quæ colligitur ex cap. vlt. qui Cler. vel vouent. nam ea decisio ad voti solennitatem & ad ea, quæ ei iure legitimo possunt accedere, pertinet. ita Couar. 4 lib. decretal. de sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 4, nu. 6. vbi etiam subiungit hoc matrimonij diuortium

diuortium ex diuina authoritate fieri, non humanâ, sicque intelligendam esse hanc regulam, quos Deus coniunxit homo non separet. Quod probatur etiam suprà allegatis cap. 2. & cap. Ex publico. vbi dicitur hoc deduci à sacri eloquij interpretatione. Deinde probatur hoc exemplis sanctorum patrum d. cap. 2. verb. sanctis, ad iuncta glos. ibi. &. c. scripsit. §. ecce. 27. q. 2. Quod & Christus exemplo Diui Ioannis Apostoli & Euangelistæ docuit, quem à nuptijs ad castitatis professionem vocauit. testib. D. Hieronymo, in prologo Euangelij Ioannis, & in prologo Apocalypseos. D. Augustino in prologo operum in Ioannem. Qui plura exempla Sanctorum, qui antè consummationem matrimonij religionem ingressi sint, scire cupit, legat Robert. Bellar. lib. 2. de Monachis cap. 38. quinta controuers. generali. Tom. 1. Vbi per vota solennia matrimonium non consummatum solui, duabus elegantibus rationib. probat, quas huc adscribere placuit.

4

5

Prima est, inquit, quia ratio ipsa docet semper esse licitum transire de statu minùs perfecto ad perfectiorē, si id possit fieri sine vllius detrimento: At status coniugij est imperfectior statu religionis; Ergò poterit ab vno ad alium fieri transitus, quandò id fiat sine vllius detrimento: fit autem sine vllius detrimento, quandò matrimonium est ratum, sed non consummatum. Nam cum matrimonium est consummatum, duplex detrimentū oritur, si dirimatur; vnum proli iam natæ vel conceptæ, quæ non poterit tàm benè educari; Alterum ipsi coniugi, quæ manet ligata, nec potest alteri nubere, & quandò etiam posset, non tàm commodè, cum non sit ampliùs virgo. At nihil horum inuenitur in matrimonio non

6

consummato: Ibi enim nulla est proles, & vxor alteri nubere, & æquè benè atq; anteà, cum adhuc sit virgo, & nihil infamiæ incurrat ex huiusmodi repudio, vt notum est.

7 Dices; at iniuria illi fit, cum spoliatur inuita re sua. Respondeo, tenetur consentire marito volenti perfectiores nuptias sine vlla comparatione inire, cum id facere possit sine suo incommodo, potest autem cogi, vt faciat, quod tenetur facere. Dices rursum; si hæc ratio valeret quicquam, probaret non solùm propter monasticam professionem matrimonium ratum dirimi, sed etiam propter sacrorum ordinum susceptionem, ac præcipuè propter Episcopalem dignitatem, cum etiam sacro ordini sit annexum solenne votum continentiæ, & status Episcoporum sit perfectior statu religiosorum. At non dirimitur matrimonium ratum propter ordinis sacri susceptionem, vt Ioan. 22. definiuit in extrauaganti. Antiquæ concert. de voto, ergò &c.

8 Respondeo, non esse similia: nam monasticæ professioni repugnat per se & ex naturâ rei coniugium, non autem repugnat per se & ex natura rei, ordini sacro, sed ex solo decreto Ecclesiæ.

9 Secunda ratio est; nam in matrimonio duplex inuenitur vinculum; vnum spirituale, quod ex solo cōsensu nascitur; alterum carnale, quod nascitur ex copulâ; sed istud carnale dirimitur per mortem corporalem, vt patet ex 1. Corinth. 7. Ergò vinculum spirituale dirimi debet per mortem spiritualem & ciuilem; Talis est monastica professio, quâ homo toti mundo quodammodo moritur. Ergò &c. Et ex hac ratione patet, cur non dirimitur tale matrimonium per ordinem sacrum; nam

Sacer

Sacer ordo non requirit mortem illam ſpiritualem ſeu ciuilem quâ quis opibus & propriæ voluntati renunciet. hactenus Bellar.

Alias non diſſimiles rationes diuerſitatis, cur nempè matrimonium ratum, non conſummatum, per religionis ingreſſum, & non item per ſacri ordinis ſuſceptionem diſſoluatur, tradit gloſ. in d. extrauag. Antiquæ. Ioã. 22. de voto. & gloſ. cõmuniter recepta in cap. vnico, de voto in 6. dicit enim primò, introductum hoc eſſe fauore religionis, nam alia cauſa eſt Monachi, & alia Clerici, can. alia. 16. q. 1. Religioſi enim mortui ſunt mundo. can. placuit. 16. q. 1. Vnde ſicut mors naturalis ſolueret ſpõſalia, ſic & iſta ciuilis permittente cap. verùm & cap. Ex publico. de conuerſ. coniug. Quæ ratio deficit in Clerico.

Secundò dicit, æqualitatem inter virum & mulierem eſſe ſeruandam: iam ſi liceret viro matrimonium ratum, nõ conſummatum, per ſacri ordinis ſuſceptionẽ diſſoluere, nõ eſſet æqualitas: quia iam duplici remedio poſſet vir ſponſalia de præſenti, vel matrimonium nondum conſummatum diſſoluere, ſcilicet per religionis ingreſſum, & ordinum ſuſceptionem, & mulier ſolùm per religionis ingreſſum, cùm ſacrorum ordinum ſit incapax, propter ſexus fragilitatem.

Nec obſtat ſi quis obijciat. Matth. 19. Matrimoniũ à Chriſto inſolubile pronunciatur: dixit enim Dominus: Quos Deus coniũxit, homo non ſeparet. Quia primò reſpondetur, ſuprà oſtenſum & probatum eſſe, huiusmodi diuortium ex diuinâ authoritate fieri, quod etiam patet ex Eccleſiæ traditione & declaratione.

Nam Concilium Trident. ſeſ. 24. can. 6. de ſacram.

matrim. anathemate damnat eos, qui dicunt, matrimonium ratum, non consummatũ, per solennem religionis professionem non dirimi.

Secundo respondetur, verba illa, Quos Deus coniunxit &c. intelligi solùm de matrimonio consummato. Etenim hęc verba non sunt dicta à Domino, nisi postquã dixerat: Erunt duo in carne vna; quod non fit, nisi per copulam carnalem.

Hunc textum sic exponi debere, docet Alexand. 3. d. cap. Ex publico. de conuers. coniug. Sed quod nec matrimonium ratum, non consummatum, per Episcopalem dignitatem soluatur, communis est & Theologorũ & Canonistarum sententia, quam probare videtur text. vbi Anton. hoc notat in cap. ex parte. el. 2. de conuers. coniug. Ioan. Andr. in d. cap. vnic. Aretin. consil. 59. col. 2. Palud. in 4. sent. dist. 27. q. 3. ad 3. Couar. suprà citato loco nu. 9. Cuius est ratio, quod non repugnet per se & ex naturâ rei Episcopali dignitati coniugium, sed ex solo Ecclesiæ decreto.

12 Matrimonium enim Episcopis & Clericis in maioribus ordinibus constitutis nec iure diuino, nec naturali, sed solùm iure positiuo & Ecclesiastico, antiquissimo & æquissimo, est prohibitũ, quod tamẽ ius, nullo modo expedit, vt hoc tempore relaxetur, vt eleganter & fusè tradit & probat Robert. Bellar. lib. 1. de Cler. c. 18. 1. Tom. operum, quinta controuersia generali.

Ex suprà dictis satis patet matrimonium ratum, nõ consummatum, per religionis ingressum, seu votum solenne, dissolui.

13 Iam quæritur, an votum solenne dirimat matrimonium post ipsum votum contractum. Et respondetur

tur affirmatiuè: Etenim si votum solennè dissoluit matrimonium ratum antè eius consummationem, à fortiori dirimit matrimonium post ipsum votum contractum, huiusmodi enim matrimonium est ipso iure nullum. d. cap. vnic. de voto in 6. & tot. tit. Qui Cler. vel vouent. Ratio est: Quia homo per votum solennè, tanquam traditionem realem, amisit proprij corporis potestatem.

14 Votum autem simplex non dirimit matrimonium ratum, non consummatum: Quia votum simplex non est tàm efficax, vt est votum solennè, quod est traditio realis, simplex verò est ipsa promissio secundũ S. Thom. in 4. sent. dist. 38. q. 1. art. 2. ad 3.

Deinde, quia fortius matrimonij vinculum superueniens, tollit primum debilius, nempè votum simplex d. cap. vnico, de voto in 6. Etsi enim contrahendum matrimonium impediat, non tamen contractum dissoluit, licet antè matrimonium contractum, sit quis compellendus votum implere. cap. Ex parte. de censib. cap. porrectum, de regularibus. cap. Rursus, qui Cler. vel vouent.

Quod verò votum simplex non dirimat matrimonium post ipsum votum contractum, vel ex eo etiã probari potest: Quia promissio, qualis est votum simplex, obligat quidem in conscientia; attamen non transfert dominium rei promissę ab eo, qui promisit, in eum, cui promissa est; & ideò si is, qui promisit, sententiam mutet, & rem alteri re ipsa donet, ille quidem peccat, tamen donatio vim suam habet.

15 Exemplum esse potest de re ab vno duobus, diuersis temporibus, donata, vel vendita.

Etsi enim quis rem aliquam vni donauerit, vel vendiderit, & deinde mutata voluntate, eandem alteri donet, vel vendat & tradat, is in dominio rei donatæ, vel vēditæ præfertur, cui posteriori realis facta est donatio vel venditio, text. in l. quoties C. de rei vendicatione.

Ex quibus infertur, matrimonium carnali copulâ consummatum non dissolui per votum solenne, cùm in illo matrimonio iàm fuerit præmissa realis traditio, c. cū societas. 27. q. 2. Antè copulam tamen dirimitur fortiori actu, nempè professione solenni castitatis, & sic traditione reali ad spiritualia subsecutâ, S. Thom. in 4. sent. dist. 27. q. 2. ad finem. & ibi Palud. q. 3. quos refert & sequitur Couar. d. loco. num. 8.

Ex quo sub infertur text. in l. fin. c. de Episc. & Cler. & text. in §. distrahuntur, in Auth. de nupt. col. 4. quib. colligitur matrimonium etiam consummatum per religionis ingressum dissolui posse, falsos & erroneos esse. c. lege. dist. 10. & c. sunt qui dicunt. 27. q. 2.

Verùm hîc non inutiliter quæritur: An alter coniugum post consummatum matrimonium, votum castitatis emittere queat? Et breuiter respondetur quod non. Nam alter in alterius præiudicium vouere nequit, cùm non habeat potestatem corporis sui. d. c. sunt qui dicūt. & c. scripsit. §. ecce. 27. q. 2. & c. vna sola. 33. q. 5. cùm similibus. Nisi cùm consensu alterius voueret. cap. quidam intrauit. & cap. ex parte el 1. & ibi Abb. de conuers. coniug. Potest tamen vir sine vxoris consensu votum peregrinationis emittere, & implere. cap. Ex multa. §. in tanta, de voto & voti redempt.

17 Cæterùm elegans hoc loco oritur quæstio; An, si sponsus violenter cognouerit sponsam, nihilominus sponsa

ſponſa, inuito ſponſo religionem ingredi poſſit? De hac quæſtione duæ ſunt Doctorum opiniones; vna affirmatiua, altera negatiua. Affirmatiuam tenent Barth. Brix. & Ang. in l. 1. §. remouet. ff. de poſtulan. & Hyppolit. in in l. 1. §. prætereà. ff. de quęſtionib. nu. 15. Panor. in d. c. verùm de cõuerſ. coniug. Quib. ſuffragatur ratio, quod ea, quæ inuita cognita fuit, non videatur cõmunicaſſe corpus ſuum. c. ille autem. 32. q. 5. §. 1. cum c. ſeq. ad quàm etiam facit illud, quod delinquens non debeat eſſe melioris cõditionis, quàm ſapiens. l. 3. §. 2. ff. de donat. inter vir. & vxor. l. itaq; fullo. §. ſed nemo ff. de furt. & l. ſeruus ff. quod vi aut clàm. c. eum qui. de p̃bend. in 6. cum ſimilib.

Negatiuam tenẽt Hoſtienſ. in ſumma, tit. de cõuerſ. coniug. §. & vtrũ. verſ. quid ſi virgo. Palud. in 4. ſent. diſt. 28. q. 3. col. 4. Florent. 3. part. tit. 6. cap. 21. §. 1. Bald. in cap. penult. de probat. Couar. d. loco. nu 10. & hæc eſt cõmunior. Et pro negatiua facere poteſt ratio; Quod ſponſa de præſenti det poteſtatem corporis ſui ſponſo, vnde cùm in ſponſum conſenſit conſenſu de præſenti, ex conſequẽti, vel ſaltem implicitè cenſetur etiam in copulam conſentire: Vnde copula ex parte ſponſæ implicitè voluntaria, ratione præſtiti conſenſus de præſenti, cenſetur, licet ſecundùm quid, ratione violentiæ fuerit involuntaria. Et ſponſus ita per vim eam cognoſcens videtur vti iure ſuo; licet eo vtendo antè tempus ſolennis benedictionis nuptiarum peccet, per ea quæ tradunt Angel. in verb. debitum. §. 1. & Syluest. ſub eodem verb. §. 9. & Caietan. 2. Tom. opuſc. q. 1. de vſu matrimonij. & in ſumma. verb. matrimonialis vſus peccata, verſ. 8. idem in 4. ſent. diſt. 29. art. 2.

Cùm ergò per huiuſmodi copulã matrimon. fuerit

consummatum, consequitur Sponsam inuito Sponso non amplius religionem ingredi posse.

18 Sed & Sponsus non erit puniendus, qui per vim Sponsam de præsenti cognouerit & rapuerit, nisi Sponsam hanc præmeditantem atq; tractantem ingressum religionis fraude & dolo per vim cognouerit. Bald. col. fin. Salicet. num. 9. in l. vnic. c. de Rapt. virg. Ana. in c. fin. col. penult. de Raptorib. Couar. d. loc. num. 11. vbi existimat hoc casu non esse locum pœnæ illius l. vnicæ, sed hunc miriori pœna, arbitrio Iudicis esse puniendum, ex his, quæ in d. l. vnic. notat Hyppolit. col. penult. Etenim illa lex de Sponsa de futuro loquitur.

Sponsa verò de præsenti non cognita, quæ asserit se religionē ingressuram, compellitur, data sufficienti cautione, infrà duorum mensium spatium, vel ad religionē transire, vel consummare matrimonium d. cap. Ex publico de conuers. coniugat.

19 Sed questionis est, an sponsa propter religionis professionem amittat sponsalitiā donationem, quàm aliâs ex osculo præcedenti lucraretur. Ad hanc quæstionem respondet Couar. d. loco. nu. 12. negatiuè, scilicet, quod apud sponsam sic profitentem religionem, vel monasterium dimidia donatorum pars maneat, religionis fauore, hocq; notat ex Corneo consil. 228. vol. 1. Id etiam probat Couar. arg. text. in c. vlt. 19. q. 3. Verùm huius quæstionis pars affirmatiua verior est, propter expressum textum in d. cap. ex publico, vbi dicit text. quod si sponsa ad religionem transierit, vterq; restituat alteri, quod ab eo noscitur recepisse. Procedere autem potest responsio & opinio Couar. apud Hispanos, apud quos Regia lege (quæ est 52 in Taurinis legibus, vt ipse Couar. refert) ita

ita cautum est, vt sponsa de præsenti propter osculum acquirat dimidiam partem sponsalitiæ donationis, si casu matrimonium non fuerit consummatum, quam legem Regiam, tanquam fauorabilem Couar. d. loco ad casum ingressus religionis extendit.

Vna hoc loco quæstio videtur reliqua. An matrimonium ex consensu ratum, nondum tamē copulâ carnali consummatum, Romani Pontificis dispensatione dissolui possit. De qua quæstione Theologorum & Canonistarum repugnantes sunt opiniones. Theologi enim puri negantem, Canonistæ & Theologi Canonum periti affirmantem defendunt partem. 20

Pro Theologis & sic parte negatiua sunt grauissimę rationes, cur summus Pontifex matrimonium ratū sua dispensatione dirimere nequeat.

Prima: Quia matrimonium ratū non differt à consummato vlla essentiali differentiâ: Nam copula carnalis actus quidam est coniugij, non essentia coniugij: Non enim concubitus, sed consensus facit matrimonium, l. nuptias. ff. de reg. iur. Sed matrimonium consummatū à summo Pontifice est insolubile; nam quos Deus coniunxit, homo non separit Matth. 19. Ergò & matrimonium ratum á Romano Pontifice est insolubile.

Secunda ratio: Matrimonium ratum est verum sacramentum, significans Christi & Ecclesiæ vnionem inseparabilem: Ergò summi Pontificis dispensatione indissolubile.

Tertia: Per matrimonium ratum dat vir vxori potestatem corporis & vxor viro: Ergò, &c.

Quos enim Deus coniunxit, homo non separet. Quod dictum etiam de matrimonio rato intelligunt per

ſupradictas rationes. Nec obſtat ſi dicatur, per religionis ingreſſum matrimoniũ ratum diſſolui poteſt: Ergò etiã per ſummi Pontificis diſpenſationem. Quia negatur cõſequens & ratio negationis eſt: Nam ingreſſus religionis & diſpenſatio diſſimilia & diuerſa ſunt; diuerſitatem inducit fauor religionis.

Cauſa enim religionis in iure eſt expreſſa, & multis authoritatibus & exemplis confirmata: Et cauſa religionis matrimonium ratum ex diuina authoritate diſſoluitur: Diſpenſatio autem circà matrimonium ratum, fit tantùm Pontificis authoritate, quæ diſpenſatio in foro conſcientiæ quem, quoad Deum, non ſemper tutũ reddit. Theologorum ſententiæ etiam ſubſcribit Couar. ſæpè d. loco. num. 14.

Verùm affirmatiua Canoniſtarum ſententia primas obtinet, quæ vt eſt communior, ita & verior. Hæc probatur per gloſ. ſingularem in d.c. Ex publico. de conuerſ. coniug. receptam ab omnibus puris Canoniſtis & Theologis canonum peritis, teſte illuſtri iuris Monarcha & viro ſanctiſſimo D. Martino ab Alzpilcueta, Nauarreo, in Enchirid. confeſſarior. cap. 22. nu. 21. de ſacramento matrim. Cuius gloſſæ aſſertio his argumentis probari poteſt.

Primò: Matrimonium non conſummatum non ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. cap. debitum, de bigam. & c. cùm ſocietas. 27. q. 2. & c. in omni ead. cauſ. & quæſt. Ergò eſt diſſolubile.

Secundò, Matrimonium ratum ſignificat coniunctionem ſpiritualem Chriſti & animæ, vt docet S. Thom. in 4. ſent. diſt. 27. q. 1. art. 3. q. 2. ad 1. & Innocent. in d.c. debitum. Atqui hæc coniunctio eſt ſolubilis: Ergò & matrimo-

matrimonium ratum est solubile. Minor huius argumēti patet: Quia anima separatur á Christo per peccatum.

Tertiò: Matrimonium ratum non est perfectum; Ergò dissolui potest. Antecedens probatur: Quia antè copulam non dicitur consummatum, perficitur autem copulâ, quo ad sui significationem, & tunc vtramq; habet significationem, nempè coniunctionem animæ fidelis ad Deum, & Christi ad Ecclesiam d. cap. debitum. Vnde si copulâ perfectum sit, redditur ab homine indissolubile.

Quartò: Si matrimonium ratum non consummatum significaret vnionem Christi cum Ecclesia, sequeretur esse bigamum, qui duo matrimonia rata contraxit, licet vnum tantum aut nullum consummauerit, quod est contra d. cap. debitum. Sequela patet: Nam bigamia contrahitur ex defectu significationis vnius Christi cùm vna Ecclesia, quàm non habet, qui cum duobus contraxit. ita Bellar. suprà citato loco.

Quibus argumentis positis Theologorum rationes & argumenta satis videntur soluta. Sed soluenda sunt plenius.

Respondetur igitur ad rationem primam seu primum argumentum: Matrimonium ratum, nō consummatum, non differre solùm accidentaliter, id est, vt rem operantem, & non operantem, vt vult Theologorum opinio, nec tamen differre propriè essentialiter, quasi desit matrimonio rato altera pars essentiæ, quomodo differunt homo & anima; sed differre, sicut perfectum, & imperfectum, sicut differunt homo, cui non deest vlla pars integralis, & homo maneus, surdus, vel cœcus: id, quod ipsa verba ostendunt.

Cur enim dicitur matrimonium ratum,& non cõsummatum si nihil ei deest,nisi operatio siue effectus? & cur non dicitur etiam sacerdotium ratum, & non consummatum,antequã Presbyter incipiat exercere sacros ordines? ita post Canonistes respondet Bellar. d. loco.

Ad secundum argumentum respondetur. Matrimonium ratum esse verum sacramentum, sed non perfectum,neq; significare vnionem Christi cum Ecclesia; vnde summi Pontificis dispensatione dissolui potest.

Ad tertium dicitur,non teneri coniugem ad soluẽdum eiusmodi debitum cum detrimento boni spiritualis sui,quandò id potest fieri sine vllo detrimento alterius coniugis,vt in hoc casu fieri potest,vti etiam suprà dictum est. Ita cum Canonistis respondet Robert.Bellar.d. loco. Vbi etiam dicit hanc solutionem conformem esse decretis Pontificum, qui de facto dispensant in matrimonio rato,non consummato.

Solet autem summus Pontifex circà matrimoniũ ratum nõ nisi iustâ & rationabili causâ dispensare, in remedium animarum alioquin probabiliter periturarum.

Huiusmodi dispensationis exempla sunt in promptu passim antiqua,passim recentia & noua. Nam Arch. Flor. refert duo exempla: Vnum de Martino V. alterum de Eugenio IIII. Quorum bullas se vidisse, attestatur. Martin.ab Alzpilcueta suprà citato loco.dicit ter vel quater ad petiones suo consilio, antequam in vrbem venisset, oblatas, Paulum III. & Pium IIII. suis dispensationibus dissoluisse quædam matrimonia omninò clandedestinè contracta in remediũ animarum alioquin probabiliter perirurarum. Couar.d. loco recenset etiã duo; vnum de Iulio III. alterum de Paulo IIII. Verùm cùm

aliquot

aliquot diſpenſationes contrà clandeſtinè cõtracta matrimonia obtentæ fuerint antè Concilium Trident. antè quod clandeſtina matrimonia iure Decretalium valuerunt, quamquàm peccârint clandeſtinè contrahentes.c.aliter. 30. q.5.vbi not. Iam verò cùm matrimonia clandeſtina, quæ ſine adhibitis Parocho, & duobus vel tribus teſtibus contrahuntur, ſint à Concilio Trident. irrita & inania facta, vt patet ex ſeſſ. 24. in decretis de reformatione matrim. c. 1. non opus eſt circà eadem Romani Pontificis diſpenſatione, cùm ſint ipſo iure nulla; Sed ſolùm opus erit eiusdem Pontificis diſpenſatione, circà matrimonium ratum & legitimè contractũ, quod tamen vterq; vel alter contrahentium non vult iuſta de cauſa conſummare.

Cæterùm ſummum Pontificem non poſſe ſua diſpenſatione matrimonium legitimè contractum, & carnali copulâ conſummatum, quoad vinculum dirimere, eſt communiſſima & infallibilis ſententia, iuxta illud Matth. 19. relatum in cap. gaudemus, de diuort. Quos Deus coniunxit homo non ſeparet. 21

Contratiam tenent Socin. conſil. 28. vol. 1. Dec. in cap. quæ in Eccleſiarum col. 5. de conſtitut. Hieron. Grat. conſil. 1. vol. 2. num. 31. Sigiſmund. Lofred. conſil. 50. num. 41. Priorem ſententiam tenent gloſ. in ſæped. cap. Ex publico. & ibi Abb. in fin. Bald in cap. lator, de re iudicat. Ioan. Andr. in cap. actus legitimi, de Reg. iur. in 6. Felin. in d. cap. quæ in Eccleſiarum numer. 23. Couar. d. loco. num. 15.

Ratio huius ſententiæ eſt: Quia ſummus Pontifex id, quod iure diuino & naturali prohibitum eſt, permittere non poteſt, tamen ſi legem diuinam & naturalẽ poſ

ſit interpretari, Couar. d. num. 15. Ex quo patet ratio, cur ſummus Pontifex cum Heinrico VIII. Rege Anglorum repudiante ob ſterilitatem coniugem ſuam Dominam Catharinam, incomparabilem immortalis memoriæ Caroli V. Imperatoris amitam non diſpenſârit, vt liceret eidem aliam coniugem, ipſa sereniſſima Regina Catharina viuente, ducere, patet inquam ratio: Quia iure diuino & naturali erat prohibitum, contrà quod ſummo Pontifici diſpenſandi poteſtas competit nulla, qua de re infrá cap. 13, numero 46. & ſequentib. aliquid agemus.

At contra hanc ſententiam, qua probatum eſt, Papam matrimonium conſummatum ſua diſpenſatione dirimere non poſſe, illud obijcitur, quòd Gregorius III. Pontifex Max. ad Bonifacium Epiſcopum reſcripſit, nempè poſſe maritum vxorem legitimè ſibi coniunctam dimittere, & aliam ducere, ſi propter morbum aliquem propria vxor debitum coniugale ei reddere non valeat. c. quod propoſuiſti. 32. q. 7.

Huic obiectioni reſpondetur, Gregorium non loqui de quacunque infirmitate aut ægritudine, ſed de impotentiâ perpetuâ & naturali, perquam inepta eſt, mulier ad coniugium, talia enim coniugia, ſi ex errore contracta ſint, non cenſentur eſſe coniugia, & Eccleſiæ iudicio ſoluuntur. cap. ex literis. de frigid. ita reſpondet ex gloſſa in c. de libellis. 20. diſt. Bellar. lib. 4. de Romano Pontifice. cap. 12. Tom. 1. tertia controuerſ. general. idem reſpondet Couar. ſæpè d. loco num. 15. verſ. Illud etiam.

Sed huic ſolutioni obſtat, quod idem Gregorius in d. c. quòd propoſuiſti ſcripſit, non debere virum priori

vxori

vxori ſubſidij opem ſubtrahere,id eſt,debere eam adhuc vt vxorem alere & ſuſtentare.

Ex quibus verbis videtur Gregorium iudicaſſe primum fuiſſe verum matrimonium, & non tàm ſoluendum,quàm ei ſecundum addendum: Quod & apertiùs colligitur ex his verbis, ille qui non poteſt ſe continere, nubat magis &c.

Ad hoc reſponderi poteſt cum gloſſa. in d. c. quod propoſuiſti. 32. q. 7. Pontificem loqui de quacunque infirmitate,ſed non concedere aliud matrimonium tanquam iuſtum, ſed permittere tanquam minùs malum, eo quòd gens illa non ita pridem Chriſti fidem ſuſceperat. Nam minus malum videtur, vt aliquis vnam tantùm concubinam habeat, quàm vt cum multis paſſim ſcortetur. Inter duo enim mala,quæ auerti nequeunt, minus eſt permittendum.

Vnde Eccleſia quandoque tolerat minus malum præſens, ob euitandum maius malum futurum, quod veriſimilibus coniecturis ſperatur; quod probatur per text. in cap. requiſiuit.& cap. inter opera. de ſponſalibus. Vbi Eccleſia meretrices tolerat, ob euitandam promiſcuam luxuriam in Repub. fœdiſſimasque coniunctiones,tametſi meritrices eſſe,& ad eas accedere peccatum ſit mortale. c. meretrices.32. q.4. Couar. 4. decretal. de ſponſalib. prima part. cap. 4. num 7. 22

Sic quoque Gregorius III. tolerauit ſecundum coniugium, non vt iuſtum, ſed tanquam minus malum, vt auerteret maius malum. Sed hac de re ſatis nunc ad alia.

## Ex capite tertio summarium.

1 *Matrimonium quandò quo ad vinculum dirimatur, alterius couiugis conuersione ex infidelitate.*

2 *Apud infideles matrimonium non est sacramentum sed contractus.*

3 *Infideles sacramentorum sunt incapaces.*

4 *Christus Iudæorum coniugia ob defectum Baptismi non dissoluit.*

5 *Matrimonium in statu innocentiæ, in Paradyso institutum.*

6 *Propter hæresin matrimonium non dissoluitur & nu.* 10.

7 *Vbi non est fides Christiana, ibi matrimonium non habet suam significationem.*

8 *Matrimonium ob infidelitatem non ab homine, sed à Deo dirimitur.*

9 *Discrimen inter coniugia contracta in infidelitate, & cõiugia post Baptismum contracta.*

11 *Matrimonium inter fideles contractum etiam si alter alterum in peccatum conetur inducere nõ dirimitur.*

12 *Fidelibus cum infidelibus matrimonia contrahere an liceat. & num.* 13.

14 *Fidelis cum infideli quo iure matrimonium contrahere prohibeatur.*

15 *Sancti matrimonium cum infidelibus contra ius naturale vel diuinum non contraxêre.*

16 *Præceptum in veteri lege prohibens & irritans matrimonia cum infidelibus contracta, iudiciale fuit, non naturale, & nu.* 17.

18 *Matrimonium cum infideli contractum, non est iure diuino positiuo in lege gratiæ irritum.*

## CAPVT TERTIVM.

SECVNDA causa, qua matrimonium quo ad vinculum dissoluitur, est conuersio alterius coniugum ex infidelitatis errore.

1 Si enim alter coniugum conuertatur ad fidem, & alter noluerit ei cohabitare citrà contumeliam Creatoris, & conatum peruertendi, vel inducendi in peccatum mortale, dissoluitur matrimonium penitus quoad vinculum, etiam si consummatum sit: Quo casu licebit conuerso se alij in matrimonium iungere ex doctrina B. Pauli. 1. Corinth. 7. Si infidelis discedit, discedat &c. Et ex doctrina Ecclesiæ 28. q. 2. c. si infidelis. & cap. Quanto. & cap. Gaudemus de diuort. Dictum est, (& alter noluerit cohabitare citrà contumeliam Creatoris &c.) quia licet cõuersus licitè se separare possit quoad cohabitationem à non conuerso, nolente conuerti. S. Thom. in 4. sent. dist. 39. q. 1. art. 3. Etsi melius faceret, ei cohabitando tantisper, dum spes aliqua conuersio-

nis affulgeret, iuxta consilium Apostoli, allegato loco, tamen matrimonium, quo ad vinculum, eo ipso non dirimitur, quod alter sit conuersus, quamdiu infidelis cum fideli vitam communem absq; iniuria Creatoris agere velit S. Thom. d. loco, & Syluest. verb. matrimonium, quæstio. 10.

2 Ratio, cur huiusmodi matrimonium quoad vinculum dissolui possit, est: Quia inter infideles matrimonium non est sacramentum, sed contractus tantùm: Atqui contractus dissolui potest, vt notum est: Ergò &c.

3 Quod non sit sacramentum patet: Quia non confert gratiam, quàm legis Euangelicæ sacramenta conferunt: Cum infideles sacramentorum sint incapaces, non ex defectu sacramentorum, sed personarum, in quibus deficit fides: Vnde apud illos matrimonium neq; sacramentum est, neq; confert gratiam.

4 Sed contrà hanc rationem primò obijcitur. Si infidelium matrimonium potest dissolui quoad vinculũ, hoc fit ex defectu Baptismi; Sed Christus ob defectum Baptismi Iudæorum coniugia non dissoluit, quia inter eos verum fuit matrimonium. Nam interrogatus à Iudæis, qui non habebant Baptismum, respondit, quos Deus coniunxit, homo non separet. cap. de infidelibus, de consanguinit. & affinit.

5 Prætereà matrimonium fuit institutum longè antè Baptismum, nempè in statu innocentiæ, in Paradyso, & ibi recepit indissolubilitatem, cùm fuit dictum: & erunt duo in carne vna, vt habetur in cap. vnic. de voto in 6. Ex quo conuinci videtur matrimonium infidelium ob defectum Baptismi non esse dissolubile.

Secundo obijcitur: propter hæresin non soluitur, matri-

matrimonij vinculum d. cap. quanto. & d. cap. gaudemus. cùm tamen hæresis species sit infidelitatis; Ergò nec propter infidelitatem.

Ad priorem obiectionem respondetur secundum Abb. in d. cap. quanto. Quod ideò consideretur Baptismus pro indissolubilitate matrimonij: Quia vbi non est fides Christiana; ibi matrimonium non habet suam significationem: Matrimonium enim consummatum denotat vnionem & conformitatem, quæ est inter Deum & Ecclesiam per assumptionem carnis humanæ, vt in c. debitum. de Bigam. Vnde sicut figuratum est indissolubile: Quia carnem, quàm Deus semel assumpsit, nunquam dimisit: 7

Ita & matrimonium illud figurans, facit. quod not. in c. qua propter. 27. q. 2. Matrimonium autem inter infideles non habet hoc significatum, non enim credunt carnis assumptionem, & sic matrimonium inter illos nō est ita firmum: Quia cessat ratio insolubilitatis.

Nec obstat. illud: Quos Deus coniunxit, homo non separet: Nec illud: Et erunt duo in carne vna. Quia respondetur, hoc matrimonium non dirimi ab homine, sed à Deo, cuius interpretem habemus Apostolum Paulum. 8

Ad posteriorem obiectionem respondetur: Magnum esse discrimen inter coniugia contracta in infidelitate, & coniugia contracta post Baptismum. Priora enim etsi firma sint ex natura sua: tamen sacramenta non sunt, & ideò deest illis potissima ratio insolubilitatis. At posteriora sacramenta sunt, & proinde duplicem habent rationem insolubilitatis. 9

Quod ergò Apostolus docuit de matrimonijs in infide-

fidelitate contractis, non debet extendi ad matrimonia contracta post Baptiſmum: & idcircò ſi alter coniugum conuertatur ab hæreſi, & alter nolit ei cohabitare ſine 10 iniuria Creatoris, non ſoluitur matrimoniũ quo ad vinculum, non quia hæreſis non ſit ſpecies infidelitatis, ſed quia matrimonium illud poſt Baptiſmum contractum fuerat, & ea de cauſa ſacramentum erat: Et ſimiliter ſi alter coniugum Chriſtianorum, fiat non tantùm hæreticus, ſed etiam Apoſtata, Ethnicus, tamen nunquam ſoluitur vinculum matrimonij, quia ſacramentum eſt. Nã ſacramentum fidei quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit coniugij ſacramentum, vt ipſum in coniugibus illo durante, perduret text. in d. cap. quanto. Ita Bellar. lib. 1. de matrim. cap. 12. Tom. 2. quinta controuerſ. general.

Ex quo & illud dubium ſoluitur, cur matrimonium 11 inter fideles contractum, etiam ſi alter alterum conetur in peccatum mortale inducere, & nolit illi ſine iniuria Creatoris cohabitare, non poſſit ſolui: Cauſa enim iàm reddita eſt, quod huiuſmodi matrimonium in Eccleſia contractum ſacramentum ſit.

Hoc loco inſignis exurgit quæſtio: An liceat fideli- 12 bus cum infidelibus matrimonia contrahere. Ad quàm quæſtionem videtur reſpondendum affirmatiuè. Nam ſi non liceret, Sancti ſine dubio cum infidelibus matrimonia non contraxiſſent.

Quod autem Sancti cum infidelibus contraxerint matrimonium, probatur multis exemplis.

Extant enim exempla in lege naturæ, in lege ſcripta, & in lege gratiæ. In lege naturæ Iacob vxores duxit filias Laban Idololatræ: Ioſeph filiam Phutipharis Ægyptiam: Moyſes

Moyſes filiam Ietro Æthiopiſſam. In lege ſcripta Eſter nupſit Aſſuero Regi Perſarum Ethnico: & Salomon vxorem duxit filiam Pharaonis, & Dauid accepit filiam Regis Geſſur. 2. Reg.3. In lege gratiæ teſtantur Hieronymus lib. 1. in Iouinianum. & Auguſtinus lib. de fide & operib. cap. 19. ſuo tempore fuiſſe frequentiſſima in Eccleſia eiusmodi coniugia; & quamuis à Patribus reprehendebantur, tamen non dirimebantur, nec eſt probabile fuiſſe tolerata, ſi vera matrimonia non fuiſſent.

Præterea S. Monica Mater S. Auguſtini virum habuit Paganum teſte ipſomet Auguſtino lib. 9. confeſs. cap. 9. & Clotildis Chriſtiana nupſit Clodoueo Regi Francorum Ethnico, teſte Gregorio Turonico. lib. 2. hiſt. cap. 28. Vtraq; autem pia erat, & virum ad fidem conuertit: Fieri autem non poteſt, vt piæ fæminæ eſſent, & in perpetua fornicatione viuerent. Ita hæc exempla in ſpecie recenſet Bellar. d. lib. 1. de ſacram. matrim. cap. 23.

Sed his exemplis non obſtantibus, ad prædictam quæſtionem negatiuè eſt reſpondendum, nempè Chriſtianis cum infidelibus non licere matrimonia contrahere, & ſi contrahunt, irrita eſſe: Quod probatur c. cauc. vbi gloſ. & c. non oportet. 28. q. 1. notat. Magiſt. in 4. ſent. diſt. 39. Canoniſtæ in cap. 1. de ſponſalib. Præterea omnes Theologi & Canoniſtæ vnanimiter tanquam rem exploratam, & à maioribus acceptam hoc tradiderunt. Nam & ab initio naſcentis Eccleſiæ prohibita ſunt iſta coniugia, ex Apoſtoli authoritate & præcepto. 2. ad Corinth. 6. nolite coniungi cum infidelibus.

12

Cui deinde præcepto prohibitiuo acceſſit mos populi Chriſtiani, qui vim legis obtinet, quo paulatim in tota Eccleſia interductum, & iàm á multis ſæculis creditum &

tum & ſeruatum eſt, vt matrimonium inter fidelem & infidelem non baptizatum irritum ſit.

Prohibitionis huius ratio & cauſa eſt: Quia matrimonium apud Chriſtianos ſacramentum eſt; Ergò non debet à Chriſtianis illis perſonis tribui, qui ſacramenta ſuſcipere nequeunt. Vnde maxima fuit cauſa irritandi matrimonia fidelium cum infidelibus; non enim infidelis baptizatus vllius ſacramenti capax eſt.

Ex quo apertè colligitur hanc prohibitionem iuris eſſe humani, non diuini, nec naturalis, quod etiam tenēt Scot. & Palud. in 4. ſent. diſt. 39. q. 1. col. 1. Couar. 4. decretal. de ſponſalib. 2. part. cap. 6. §. 11. num. 1. Quod ex eo probatur. Nam ſi eſſet iuris diuini & naturalis, procul dubio ſuprà nominati Sancti Patres cum infidelibus matrimonia non contraxiſſent:

Cur autem potuerint contrahere, ratio eſt: Quia nondum erat in lege naturæ, & in lege ſcripta prohibitum; & in illis legibus matrimonium nondum erat ſacramentum: Vnde in ijs legibus cum infidelib. matrimonium contrahi potuit.

15 Non enim credibile eſt Sanctos illos contrà ius naturale & diuinum matrimonia cum infidelibus contraxiſſe, neq; etiam Deus hoc permiſiſſet. Sed huic obſtat præceptum in veteri lege non tàm prohibens, quàm matrimonia cũ infidelibus contracta irritans, apud Eſtram. lib. 1. cap. 9. & 10. Vbi legitur, Eſtra interpretante legem Domini in Deuteronomio à Moyſe latam, ſeparatos fuiſſe filios Iſraël à coniugibus infidelibus, quas duxerant. Ex quo colligi videtur matrimonium inter fidelem & infidelem iure naturali & diuino eſſe prohibitum.

Verum

Verum respondetur, illud præceptum, quatenus irritans matrimonia, iudiciale fuisse, non naturale, & ideò cessasse cum cæteris, neq; ad Christianos pertinere. 16

Fuisse autem iudiciale, ex eo colligitur, quod solùm prohibuerit coniugia Iudæorum cum infidelibus habitantibus in terra Chanaam, quos Deus omninò interfici & deleri volebat; non autem cum infidelibus cæteris. Vnde Ester legitimè nupsit Assuero Gentili, & Salomon accepit in vxorem filiam Pharaonis. Neq; enim obstat, quod lib. 1. Estræ cap. 9. inter Gentes, quarum connubia Iudæis erant prohibita, numerantur Ægyptij: Quia loquitur Estras de Ægyptijs, qui habitabant in terra Chanaam, non de alijs. Ita ex Caietano Bellar. de cap. 23, 17

Sed quod huiusmodi matrimonia cum infidelibus contracta non etiam sint iure diuino positiuo in lege gratiæ irrita probatur. Nam in Testamento nouo non extat tale præceptum. Verba enim D. Pauli 1. Corinth. 7. Quod si dormierit vir eius, liberata est, cui autem vult nubat tantum in Domino, & 2. ad Corinth 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus, non probant, nisi non esse contrahendum cum infidelibus: non autem probant matrimonium esse irritum. Bellar. d. cap. 23. 18

Aliud enim est prohibere, aliud irritare. Nam multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. cap. ad Apostolicam. de Regularib. Vbi glos. verb. obtinent. L. nō dubium. vbi glo. C. de legib. L. patre furioso §. quare. vbi glos verb. retinere. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. cùm similib. Licet enim quis contrà præceptum prohibitiuū aliquid agendo vel contrahendo peccet actus tamen vel contractus non semper irritatur, vel annullatur. 19

Vnde peccarunt Christiani contrahendo cum infidelibus, qui propterea etiam grauiter à Sanctis Patrib. vt Cypriano, Ambrosio, & Hieronymo reprehendũtur. Coniugia tamen ita contracta irrita non fuêre.

20 Sed obijcies ac dices, si ita est, cur Monica Mater Diui Augustini & pia & sancta prædicatur? Respondeo S. Monicam aut Ignorantiâ, & introducta consuetudine à peccato excusari: Nam eius tempore inualuerat consuetudo, vt peccatum non putaretur, cum gentilibus cõtrahere matrimonia, vt D. Augustinus testatur. lib. de fide & operib. cap. 19. Aut certè pœnitentiâ & lachrymis illud purgauit: Neq; debuit matrimonium semel contractum dirimere, quia nondum mos populi fidelis cultûs disparitatem inter impedimenta matrimonium dirimentia reposuerat, vt posteà fecit. Bellar. d. cap. 23. in fin. Quia ergò iam iure positiuo Ecclesiastico cultûs disparitas impedimentum est matrimonium dirimens, consequens est matrimonium à fideli cùm infideli contractum esse ipso iure nullum, vti suprà nu. 13. dictum est.

Sponsalia tamen potest fidelis cum infideli sub ista conditione contrahere, quod infidelis conuertatur ad fidem d. cap. caue. & d. c. non oportet. Et hoc omnes Theologi & Canonistæ communiter tenent.

21 Verùm nunc quæritur, quâ nam pœnâ afficiatur Christianus contrahens matrimonium cum infideli, vt Iudæa, Gentili &c. Respondeo sub distinctione. Aut enim Christianus ignoranter duxit in matrimonium Iudæam, vel Christiana Iudæum; & tunc nulla eos manet pœna, cum dederint operam rei licitæ, & ignorantia facti legitimam præstet illis excusationem. Abb. & alij in c. Nonnullis de Iudæ. Ita tamen, quod quandò habuerint notitiam.

notitiam talis impedimenti, statim se separent: aliâs secus. l. qui contrà, vbi latè traditur C. de incest. nupt. Aut scienter, & tunc pœna est dissolutio matrimonij & excõmunicatio d. c. caue. cum seq. 28. q. 1. & d. cap. Nonnullis; & in foro pœnitentiali, pœna septem annorum pœnitentiæ. c. hoc ipsum. 33. q. 2.

22 Quibus accedit, quòd iure ciuili cautum est, Christianum contrahentem matrimonium cum Iudæa, vel Iudæum cum Christiana, pœna adulterij puniendum esse. Quæ pœna mortis quidem erat l. ne quis Christianam. C. de Iudæ, & ibi Salicet. Abb. & Præpos. in d. cap. quandò. de diuort. Et in codice Theodosiano lib. 3. tit. 14. eadem pœna statuitur circa matrimoniũ cum Gentilibus contractum. Couar d. loco. nu. 3.

23 Sed & alia hic oritur quæstio: Vtrum summus Pontifex possit dispensare, vt fidelis cum infideli matrimonium contrahere possit? Cui quæstioni affirmatiuè respondetur, scilicet, summum Pontificem, cessante periculo, & iustâ causâ id postulante, in hoc dispensare posse.

Cuius est ratio, quod matrimonium fidelis cum infieli non sit prohibitum iure naturali & diuino, sed tantùm iure positiuo humano & Ecclesiastico, vti suprà nu. 14. ostensum est, circà quòd summus Pontifex dispensare potest, vt est communis & indubitata Theologorum & Canonistarum sententia.

24 Deniq; quæstionis est; Nùm inter Catholicum & hæreticum matrimonij vinculum contrahi possit? Et videtur dicendum quod non. Nam d. c. non oportet. 28. q. 1. expresse prohibet matrimonia contrahere cum hæreticis.

Verum respondetur, quòd licet non debeat inter

illos matrimonium contrahi, si tamen contrahatur, matrimonium tenet glos. in sæpe d. c. non oportet. quam esse ordinariam asserit Didac. à Segura Hispanus in tract. de bonis matrim. constant. acquisit. fol. 8. quem refert Didac. Couar. d. loco. nu. 4.

Idem probat S. Thom. in 4. sent. dist. 30. q. 1. art. 1. Cardin. & omnes in cap. fin. de condit appos. text. optimus in cap. decreuit. de hæretic. in 6. contrà glos. in d. cap. fin. quæ dixit matrimonium contractum cum hæretica non tenere. Quamuis enim Ecclesia prohibeat matrimonia cum hæreticis contrahere, contracta tamē nec irritat nec dirimit. Quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent vti suprà nu. 19. dictum est.

Ratio autem est, cur matrimonia cum hæreticis irrita non sint, quia videlicet sacramenta esse possunt, ratione præcedentis Baptismi in vtroq; coniuge.

## Ex capite quarto summarium.

1 *Matrimonium quo ad vinculum dirimitur ob impotentiam naturalem & accidentalem perpetuam, quæ antè matrimonium contractum contigit.*

2 *Impotentia coëundi impedimentū impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum.*

3 *Non est conueniens obligatio, si quis se obliget ad id, quod dare vel facere non potest.*

4 *Nomine impotentiæ coëundi & viri & fæminæ naturale vel accidentale perpetuum vitium intelligi.*

5 *Impotentia naturalis & accidentalis ex duabus causis oritur.*

6 *Temporaria impotentia non dirimit matrimonium.*

7 Impoten-

7 *Impotentia quæ censeatur perpetua.*
8 *Impotentia generandi quæ senibus & aliis sua natura vel arte sterilibus obuenit non impedit nec dirimit matrimonium.*
9 *Impotentia accidens post matrimonij contractum non dirimit matrimonium.*
10 *Impotentia naturalis, quæ inest puero, matrimonium impedit ad tempus.*
11 *Nemo adeò senex, qui non naturâ vel artificio calere possit.*
12 *Matrimonium scienter contrahens cum impotenti, an possit se ab illo inuito separare?*
13 *Ille ex cuius parte allegatur impotentia perpetua, nunquam contrahere matrimonium potest.*
14 *Differentia insignis inter frigidum & maleficiatum.*
15 *Ecclesia ad experiendam vtramq; impotentiam statuit tempus triennij.*
16 *Ad faciendum diuortium propter mulieris arctationem qui modus seruandus.*
17 *Vtrum propter morbos contagiosos & incurabiles diuortium quo ad vinculum fieri possit?*
18 *Impedimenta dirimentia matrimonium hoc proprium habent vt dirimant si ipsum præcedant, non dirimant, si sequantur.*
19 *An propter lepram, matrimonium non consummatum dissoluatur?*
20 *Sponsus sponsam de futuro infectam leprâ recipere non cogitur.*
21 *Propter delictum coniugis matrimonium quo ad vinculum vel saltem quoad cohabitationem, an solui possit? & num. 22.*

23 *Vxor potest à marito, fure nolente à furando abstinere, quoad cohabitationem discedere.*

24 *Coniunx Catholicus, à cohabitatione coniugis hæretici, ad suam hæresin inducere conantis, discedere potest.*

25 *Coniunx à cohabitatione alterius coniugis, à quo in peccatum mortale inducitur, discedere potest.*

26 *Propter crimen fornicationis carnalis diuortium quoad thorum & cohabitationem fieri potest.*

27 *Diuisio quæstionum aliquot, quæ aliquo modo ad causas, quibus matrimonium non consummatum, quoad vinculum, dirimitur, spectare videntur.*

## CAPVT QVARTVM.

1 TERTIA causa, quâ matrimonium non consummatum quo ad vinculum dirimitur, est impotentia naturalis, & accidentalis perpetua, ad copulam naturalem perfectam, quæ antè matrimonium contractum contigit: quo casu non propriè fit diuortium, sed declaratio, vt alij sciant huiusmodi societatem non esse coniugium: Talia enim coniugia si errore contracta fuerint, non censentur esse coniugia, & Ecclesiæ iudicio soluuntur. cap. ex literis. de frigid. & malefic. Et conceditur personæ, quæ habet naturæ vires integras, vt etiam viuente altera impotente possit de nouo contrahere cum alia. cap. 1. in fin. d. tit. de frigid. & malefic.

2 Est enim impotentia coëundi impedimentum impediens matrimonium contrahendum & dirimens contractum. Quod autem huiusmodi coniugia propter impotentiam naturalem & accidentalem perpetuam non

conseantur

confeantur esse coniugia ex hac ratione probatur. Quia quemadmodum in alijs contractibus non est conueniens obligatio, si quis se obliget ad id quod dare, vel facere non potest. l. impossibilium ff. de reg. iur. Ita in contractu matrimonij, quo scilicet vnus obligatur alteri ad debitum carnale soluendum, non est conueniens contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale soluere non potest. Ita eleganter S. Thom. in 4. sent. dist. 24. Nam impotentia coëundi ex natura sua matrimonio, quod ordinatur ad prolem suscipiendam, & fornicationem euitandam directè repugnat. 3

Licet enim actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonij, cùm consensus, non concubitus matrimonium faciat. l. nuptias. ff. d. reg. iur. potentia tamen est de eius essentia. S. Thom. d. dist. 34. q. 1. art. 3.

Nomine autem impotentiæ coëundi, non solùm viri, sed & fœminæ naturale vel accidentale perpetuum vitium intelligo. 4

Dicitur autem impotentia naturalis, vel accidentalis ideò, vt intelligatur ex duobus causis hanc oriri, naturali scilicet, quæ significatur verbo (frigidis) posito in Rubr. de frigid. & malefic. & accidentali, quæ denotatur verbo (maleficiatis) nam ad impotentiam frigiditatis reducitur omnis alius naturæ defectus, vel excessus, & arctatio membri, quæ copulam impediunt: Et ad maleficium, siue fascinationem, quodlibet accidentale, quod ex abscissione, castratione, aliove artificio promanat. Martin. Nauar. in Enchirid. confessar. c. 22. de sacram. matrim. num. 59. 5

Dicitur prætereà (perpetua) quia temporaria impotentia non sufficit ad dirimendum matrimonium, c. 6

fraternitatis de frigid. & malefic. Illa verò impotentia
7 censetur perpetua, quæ citrà miraculum, aut probabile periculum animæ vel corporis tolli nō potest. arg. d. cap. fraternitatis. Dicitur insuper (ad copulam naturalem perfectā) Quia non sufficiat impotentia generandi, quæ
8 senibus alijsvè suâ naturâ vel arte sterilibus obuenit glos. recept. in cap. quod sedem. de frigid. & malefic, & Nauar. d. loco.

Additur deniq; (antè matrimonium contractum) Quia si impotentia pòst matrimonium contractum ac-
9 cidat, non dirimit matrimonium. 32. q. 7. c. hi qui ma-
10 trimonium sani &c. si vxorem. ead. caus. q. 5. Impotentia verò naturalis, quæ inest puero, matrimoniū impedit ad tempus, quia quandiu durat, tàm diu contrahere non potest. d. cap quod sedem. vbi impotens ad copulam, est impotens ad contrahendum. Quæ verò est in
11 sene non impedit, vt modò dictum est: Quia nemo adeò senex est, quin natura, vel artificio calere possit, secundū. glos. in d. cap. quod sedem. & glos. in c. nuptiarum. 27. q. 1. & l. sancimus. C. de nupt.

12 Verùm hîc non incōmodè quæritur: Vtrum potēs contrahens cum impotente matrimonium, quem tamē sciat impotentem esse, possit se ab illo inuito separare? Et quibusdam, vt Palud. in 4. sent. dist. 34. q. 2. & S. Anton. 3. part. tit. 6. c. 12. §. 3. & alijs, visum est, quod non possit, eo quod verum sit matrimonium, sibiq; imputare debeat, quod scienter contraxerit cum impotente. Sed in hac quæstione contrarium est asserendum, ex hac ratione, quod impotentia non tàm impediat, quàm dirimat & annihilet matrimonium. cap. 1. & cap. ex literis de frigid. & malefic. Vnde inter illos nullum verum matrimoniū

subsistit.

ſubſiſtit. ita Martin. Nauar. d. loco. num. 60. quod etiam inſinuat Sylueſt. verb. matrimonium. 8. q. 16. ſub fin. etſi ibidem priori opinioni ſubſcribat. Taliter tamen contrahentes poſſunt tanquam frater & ſoror ſibi inuicem conuiuere & cohabitare. cap. conſultationi. & cap. laudabilem. de frigid. & malefic.

13 Cæterùm ille, ex cuius parte allegatur impotentia huiuſmodi. perpetuò ſine ſpe coniugij manere debet, alter verò contrahere poteſt. d. cap. 1. in fin. & d. cap. laudabilem.

14 Eſt tamen hoc loco inſignis differentia inter frigidum & maleficiatum notanda. Quia frigido pòſt ſeparationem matrimonij non datur licentia contrahendi cum alia: Nam frigidus vni, frigidus eſt & alteri. Maleficiato autem datur licentia contrahendi cum qua voluerit: Quia licet non poſſit rem habere cum vna, poterit tamen cum alia. ita S. Thom. in 4. ſent. d. diſt. 34. art. 3. cui adſtipulatur, 33. q. 1. c. ſi per ſortiarias. gloſ. cap. fin. de frigid.

15 Ad cognoſcendum autem vtrũ impotentia ſit perpetua vel temporalis, Eccleſia tám in naturali, puta frigiditate, quàm accidentali, puta maleficio, ſtatuit tempus triennij ad hoc experiendum, in quo ex vtraq; parte detur efficaciter opera copulæ carnali, pòſt qđ ſi matrimonium inueniatur non conſummatum, iudicio Eccleſiæ diſſoluitur, in quo tamen quandoq; Eccleſia errat, quia ꝑ triennium quandoq; ſufficienter experiri nõ poteſt perpetuitatẽ impotentiæ: ſed ſi ſe deceptam inuenit per hoc quod ille in quo erat impedimentum, inuenitur carnalẽ copulam cum eadem, vel aliâ perfeciſſe reintegrat præcedens matrimonium, & dirimit ſecundum, quamuis de

eius licentia factum, ita post text. in d. cap. 1. & in d. cap. laudabilem & d. cap. fraternitatis. Syluest. d. loco post initium. q. 16.

16 Quod si vir propter arctationem mulieris petat diuortium, vocabuntur matronæ honestæ & fide dignæ atq; peritæ, quæ iurabunt se diligenter mulierem inspecturas, an sit arcta. Et quidem si deposuerint eam arctam esse, nec fieri posse matrē, in continēti fieri potest diuortium, text. in d. cap. fraternitatis. & Syluest. verb. diuortium. q. 19. num. 22. Nam quæ adeò arcta est vt mulier fieri non possit, vel simile vitium à natura contraxerit, vt ope Medicorum adiuuari nequeat, dissoluto huiusmodi matrimonio, viro aliud inire permittitur. d. cap. quod sedem. & d. cap. consultationi. & d. cap. ex literis. vbi glos. & Dd.

Verùm si mulier prouocet ad diuortiū ob viri impotentiam, qui tamen asserat se potentem, mulieri credendum non est, sed viro, eo quod caput sit mulieris, nisi vir per corporis aspectionem, vel alium indubitatū modum conuincatur text. in d. cap. 1. & ibi summarium. text. etiam in cap. continebatur. de desponsat. impub. & in c. si quis acciperit. 33. q. 1.

Sed & iura Canonica vltrà id, quod coniuges per triennium cohabitent, & matrimonium consummare tentent, requirunt, vt cum septima manu propinquorū, vel etiam vicinorum bonæ famæ, si propinqui defuerint, iurent, quod operam carnali copulæ dederint, & tamen coniungi non potuerint text. in d. cap. laudabilem. & in cap. fin. de frigid. & malefic. Propinqui verò præstabunt iuramentum credulitatis, quod nimirum credant, coniuges, quorum de diuortio agitur, verum iurasse, glos. in

sæpe. d.

ſæpe. d. cap. laudabilem, verb. vterq; iureiurando, cuius gloſ. aſſertio probatur arg. text. cap. quotiens. in fin. & cap. vlt. in fin. de purgat. canonic,

17 Sed quæſtionis eſt; An propter morbos contagioſos & incurabiles, vt lepram, elephantiaſin, aliasq; ægritudines & infirmitates, diuortium quo ad vinculum fieri poſſit? Et reſpondetur negatiuè: Quia nulla infirmitas etiam grauiſſima matrimonium conſummatum diſſoluit. cap. 1. & 2. de coniug. leproſ. & d. c. hi qui matrimonium ſani. & d. c. ſi vxorem. text. elegans in l. ſi cùm dotem. §. ſi maritus ff. ſolut. matrim. vbi inquit I C. Quid enim tàm humanum eſt, quàm fortuitis caſibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem eſſe? Nec deſerendus eſt ægrotus maritus, nec ægrota vxor, cùm ſint vna caro. Nam quos Deus coniunxit homo non ſeparet. c. quos Deus. 33. q. 2. Vxor namq; eſt pars corporis mariti, vt dicitur in c. admonere. ead. cauſ. & q. & Apoſtolus ad Epheſ. 5. dicit: Viri diligite vxores veſtras, vt corpora veſtra. Qui ſuam vxorem diligit, ſe ipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam. Ex quo infertur, eos maritos contrà officium facere, qui tempore peſtis vxores aut liberos deſerunt.

Verum prædictæ reſponſioni obeſt reſcriptum Gregorij III. Pontif. Max. ad Bonefacium Epiſcopum (cuius etiam ſuprà cap. 2. ſub num. 21. memini) in quo marito facultas conceditur vxorem legitimè coniunctam dimittere, & aliam ducere, ſi illa ob aliquam infirmitatem, aut ægritudinem non poſſit marito debitum reddere. c. quod propoſuiſti. 32. q. 7.

Ad hanc obiectionem reſpondetur Pontifices re-

ſponſum intelligi debere de matrimonio nondum copulâ conſummato, vel quod huiuſmodi ægritudo præceſſerat matrimonium, & erat eius cōditionis, vt ſecundum iura coniugij omninò impediret matrimonij conſenſum. Couar. in epitome lib. 4. decretal. de ſponſalib. 2. part. cap. 7. § 4. num. 15. Idem reſpondet Bellar. lib. 1. de matrim. ſacram. cap. 11. Vbi dicit communem eſſe ſolutionem. ad d. c. quod propoſuiſti. illam primam non fuiſſe veram coniugem ob impedimentum perpetuum. atq; id Gregorium declaraſſe.

18 Etenim impedimenta dirimentia matrimonium hoc proprium habent, vt dirimant id, ſi ipſum præcedāt, non dirimant, ſi ſequantur. Nam impotentia coëundi & alia id genus, ſi præcedant matrimonium, illud ita impediunt, vt irritum reddant, ſi fiat: at ſi ſuperveniant matrimonium legitimè contractum, illud dirimere nequaquam poſſunt.

Lepra verò, vel alius morbus neq; inter impedimēta impedientia, neq; dirimentia cenſentur, vt notum eſt Aliam ſolutionem ad obiectionem ſuprapoſitam, habes ſuprà in d. cap. 2. ſub d. num. 21.

19 Extenditur prædicta reſponſiò ſeu concluſio primò, vt nec propter lepram vel ſimilem contagioſum, & incurabilem morbum, aut aliam quamlibet ſupervenientem enormen deformitatem, matrimonium etiam nondum copulâ carnali conſummatum dirimatur, text. in cap. quemadmodum, de iure iur.

An autem quo ad thorum ſeu mutuam ſeruitutem diuortium propter lepram fieri poſſit. vide infrà. 2. part. cap. 6. nu. 5.

20 Reſtringitur reſponſio, vt non procedat in ſponſalibus

libus de futuro; Nam propter lepram, paralysin, vel aliam supervenientem deformitatem post contracta sponsalia de futuro, sponsus ad recipiendam sponsam cogi non debet. text. in cap. fin. de coniug. lepros. & in d. cap. quemadmodum, sed liberè cum alia contrahere potest. Ratio est: Quia in contractu sponsaliorum de futuro subintelligitur illa conditio, si res in eodem statu permanserit, id est, si leprosa vel paralytica facta non fueris, vel notabilem deformitatem non incurreris glos. in d. cap. quemadmodum. Quod adeò verum est, etsi spōsalia de futuro iurata sint: Nam adhuc illa conditio subintelligitur. arg. d. cap. quemadmodum.

Verum alia hoc loco sese quæstio obuiam offert: Vtrum saltem propter delictum mariti, ex quo fortè relegatur, matrimonium quoad vinculum soluatur. Ad hanc quæstionem negatiua est responsio, quæ probatur in cap. 2. de diuort. Vbi dicitur, quod mulier pro furto, vel alio crimine viri sui ab eo separari non debeat. Eadem probatur ex iure ciuili in L. res vxoris. §. sin autem. C. de donat. inter vir. & vxor. & in L. 1. C. de repud. Vbi dicitur, matrimonium deportatione, vel aquæ, vel ignis interdictione non soluitur. §. quod autem prius. & §. deportatio. in Auth. de nupt. collat. 3. 21

Ratio huius est: Quia insolubile est matrimonij vinculum semel contractum, quos enim Deus coniunxit homo non separet. Matth. 19. Vnde illud nunquam amittitur viuentibus coniugibus etiam separatis. c. 2. & 3. 32. q. 7. & glos. d. cap. 2. verb. coniuges erunt.

Et ampliatur ista responsio seu conclusio, vt nec quo ad thorum, & mutuam seruitutem matrimonium dirimatur. d. cap, 2. 22

Limitatur

23 Limitatur autem hæc responsio primò, vt non habeat locum, si maritus fur nolit à furando abstinere, hoc enim casu vxor potest à marito fure, quo ad cohabitationem discedere, non tamen nouè conttahere. Palud. in 4. sent. dist. 39. q. 1. col. fin.

24 Limitatur secundò, vt nō procedat in crimine hæreseos. Nam si coniunx hæreticus vel hæretica, Catholicam, vel Catholicum ad suam hæresin inducere conetur, potest Catholicus, vel Catholica à cohabitatione coniugis hæretici, vel hæreticæ discedere, non tamen aliud matrimonium contrahere. d. cap. 2.

25 Quod idem dicendum est de coniuge, qui vel quæ à suo vel sua coniuge in aliud peccatum mortale inducitur, nec potest ab inducendo retrahi. Palud. d. loco. quē sequitur Martin. Nauar. in Enchirid. confessar. c. 22. n. 22.

Limitatur tertiò, vt non procedat in crimine fornicationis carnalis. 26 Etenim propter illud quo ad thorum & cohabitationem Iudicis authoritate matrimonium solui potest, iuxtà illud. Quicunq; dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem &c. Matth. 19. relatum in c. dixit Dominus. 32 q. 1. & c. Dominus. ead. caus. q. 7. sed de his infrà suo loco.

Cæterum priusquam priorem huius tractatûs partem absoluam, aliquot elegantes quæstiones, quę ad causas, quibus matrimonium quo ad vinculum dissoluitur, aliquo modo pertinere videntur, sunt obiter examinandæ, quas sequentibus aliquot capitibus expediam.

27 Prima erit quæstio: Vtrum matrimonium metu contractum sit validum, vel an quo ad vinculum dissolui possit. Secunda, An matrimonium errore contractum valeat, vel dirimi queat. Tertia, An matrimonium dolo

um dolo contractum valeat, vel dirimi queat. Quarta, An matrimonia à liberis ſine conſenſu parentum contracta valida ſint, vel, an ob diſſenſum illorum reſcindi poſſint. Quinta, Et ſi diſſolui nequeant, an liberi ita ſine parentum conſenſu matrimonia contrahentes ab ijſdem exhæredari poſſint. Sexta, Vtrum matrimonium in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis contractum validum ſit, & quid de cognatione ſpirituali, & legali, deque publicæ honeſtatis iuſtitia ſit ſentiendum. Septima, An ſummus Pontifex diſpenſare poſſit, vt matrimonium in gradibus iure humano & poſitiuo prohibitis, contrahi poſſit. In fine huius primæ partis de reliquis impedimentis matrimonium dirimentibus tractatio inſtituetur, quæ tribus capitibus breuiter expedietur.

## Ex Capite Quinto ſummarium.

1 *Matrimonium carnale metu contractum eſt ipſo iure nullum. Item & matrimonium ſpirituale & nu.3.*

2 *Ad contrahendum matrimonium liber conſenſus requiritur.*

4 *Non omnis metus contractum matrimonij impedit.*

5 *Metus cadens in conſtantem virum quis dicatur.*

6 *Metus iuſtus minis, & alijs cauſis inferri poteſt, qui arbitrio diſcreti Iudicis decernitur.*

7 *Metus nunquam excuſat nec à mortali, nec veniali peccato.*

8 *Metu matrimonium contrahens, nec tamen conſentiens non eſt mendax.*

9 *Metus minor in fœmina conſtante, quàm viro admittitur.*

10 *Matrimonium metu contractum etiam iuramento præstito firmatum, est ipso iure nullum.*
11 *Iuramentum sortitur naturam contractus, quæ à primordio inest contractui, in quo præstatur.*
12 *Iuramentum consensus defectum non supplet.*
13 *Metus matrimonium irritum facit, etiam si contrahens dederit causam metui.*
14 *Metus nō præsumitur illatus, nisi probetur ab eo, qui eum allegat.*
15 *Metus probari potest ex coniecturis, & per testes.*
16 *Duobus testibus metum probantibus plus creditur, quàm centum contrarium affirmantibus.*
17 *Occulta intentio soli Deo cognita.*
18 *Copula purgat metum præcedentem.*
19 *Dormiens cum puella, si compellitur per puellæ parentes matrimonium contrahere, an obligetur?*
20 *Matrimonium metu contractum spontaneâ cohabitatione conualescit.*
21 *Metus tàm diu durare præsumitur, quàm diu durat causa metûs.*
22 *Metus reuerentialis an impediat matrimonium carnale.*
23 *Et en item matrimonium spirituale.*
24 *Nulla differentia inter matrimonium carnale & spirituale contrà communem opinionem.*
25 *Filiæ Monasterium ingredienti æquè & nubenti dos debetur.*
26 *Legatum relictum nubenti, debetur etiam Monasterium ingredienti.*
27 *Lætitia non purgat metum præcedentum.*
28 *Metus reuerentialis non rescindit cæteros contractus.*

CA-

## CAPVT QVINTVM.

AD primam quæstionem in fine superioris capitis propositam, qua quæritur, vtrum matrimonium metu contractum validũ & firmum sit, vel an quo ad vinculũ dissolui possit, respondetur, matrimonium in metu contractum esse ipso iure nullum. cap. cùm locũ. c. veniens. el. 2. de sponsalib. cap. significauit, de eo, qui dux. in matrim. glos. in c. 2. de his quæ vi metusvè caus. Imol. in repet. cap. tuæ, de sponsalib. Couar. in Epitome de sponsalib. 2. part. cap. 3. §. 5. nu. 1. Concil. Trident. in decretis de reformat. matrim. sess. 24. c. 9. Ideoq; non opus est rescissione contractûs, & dissolutione vinculi. Ratio, cur huiusmodi matrimonium sit ipso iure nullum, est: Quia ad contrahendũ matrimonium liber consensus omninò est necessarius, sed coactio liberum consensum tollit: Ergò data coactione matrimonium contrahi non potest. d. cap. cùm locum. & cap. veniens el. 1. & 2. & l. nuptias. ff. de reg. iur. [1] [2]

Et quod dicitur de matrimonio carnali, metu contracto, idẽ dicendum est de matrimonio spirituali, nempè professione religionis. Nam metu religionem profitens, ad eam non obligatur. cap. 1. de his quæ vi metusvè caus. Est tamen hîc ex Concilio Trident. sess. 25. de Regularib. can. 19. notandum. [3]

Quod si regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse religionem, velitq; habitum dimittere, aut etiam cum habitu recedere sine licentiâ superiorum non audiatur, nisi intrà quinquennium tantũ à die professionis: & nunc non aliter, nisi metum, quem prætenderit, deduxerit corã superiore & suo & ordinario. Quod

ſi antè habitum ſpontè dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcunq; cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam Apoſtata puniatur.

4 Verùm quia non omnis metus matrimonij contractum impedit, ideò metū hîc accipere oportet de eo, qui poſſit cadere in conſtantem virum, vel conſtantem mulierem. d. cap. veniens. el. 2. l. metum. La. 1. & 2. l. continet. ff. quod met. cauſ. l. vani timoris. ff. de reg. iur. l. interpoſitas. vbi gloſ. verb. cruciatum. C. de tranſact. cap. delectus. de his quæ vi metusvè cauſ.

5 Metus autem cadens in conſtantem virum appellatur is, qui illatus, cogit quem eligere minus malum ob maius malum ſibi imminens effugiendum. Vnde conſtans vir ille erit, qui eliget potius ipſam rem agere, cuius agendæ cauſa periculum inſtat, quàm ſubire periculum, quod grauius atq; acerbius eſt viro prudēti, quàm ipſam rem agere, quod D. Thom. explicat. in 4. ſent. diſt. 29. art. 2. Richard. ibid. art. 1. q. 1. Sylueſt. in verb. metus. q. 1. quos ſequitur. Couar. 4. lib. decretal. 2. part. cap. 3. §. 4. num. 2. Quarè ſi quis videat ſibi mortem imminere, vel membri mutilationem, niſi cum Mœuia contrahat matrimonium, eliget prudenter potius matrimonium contrahere, quàm mortis periculum, vel corporis cruciatum ſubire.

6 Sed & minis alijsq; ex cauſis iuſtus metus inferri poteſt, id quod arbitrio diſcreti & circumſpecti Iudicis diſcernendum committitur. per text. in l. 3. in fin. ff. ex quib. cauſ. maior. ibi, huius rei diſquiſitio Iudicis eſt. glo. in d. l. interpoſitas, in verb. cruciatum.

7 Ex his infertur primò, non eſſe metum cadentem in conſtantem virum, ſi quis eligat etiam ob mortem euitandam

uitandum mortale committere peccatum, imprudens enim eſſet, qui mallet potius mortaliter peccare, quàm ipſam mortem ſubire, cùm nullum maius ſit malum, quàm peccatum, & vt inquit Ariſt. 3. Ethic. cap. 1. propter quæcunq; duriſſima, non eſt quid turpe agendum. text. ad hoc etiam eſt in cap. ſacris. de his quę vi metusvè. cauſ. Couar. d. loco. num. 3.

Secundò infertur, non eſſe metum cadentem in conſtantem virum, ſi quis etiam eligat ob euitandam mortem, contrahere culpam venialem, quũ omnis culpa, etiam venialis, ſit maius malũ quouis alio malo, quod non eſt peccatum. Abb. in d. cap. ſacris. & probatur in c. primum. & in c. ne quis. 22. q. 2. Dd. & gloſ. in c. ſi aliquid. ead. cauſ. q. 4.

Verùm his obſtat illud: Quod ſemper is, qui contrahit metu matrimonium, eligat veniale peccatum cõmittere, ex eo, quod mentitur, dicens verbis ſe eam accipere vxorem, quam animo & conſenſu minimè recipiat: Ergò mendacium committere elegit ob mortem euitãdam. Mendacium verò maius eſt malũ, quàm ipſa mors: Igitur non eſt hæc electio minoris mali, ſed maioris.

8 Huic obiectioni reſpondet. Couar. d. loco. num. 4. negans ipſum contrahentem mendacium committere: quod probat: dicit enim, quod is qui metu coactus profitetur ſe illam fœminam accipere vxorem, & huic contractui conſentire, verum dicit; cùm ſimpliciter conſentiat, non tamen liberè. l. ſi mulier. §. fin. ff. quod met. cauſ. c. merito. 15. q. 1.

9 Minor tamen metus in fœmina ob ſexus fragilitatem, quàm in viro admittitur. gloſ. in d. cap. cùm locum. quam ibi ſequũtur. Abb. & Præpoſ. & Couar. d. loco. n. 9.

10 Et ampliatur conclusio in princip. huius capitis tradita primò, vt etiam si matrimonium metu contractũ, fuerit iuramento firmatum, adhuc enim nullum est ipso iure. text. in d. cap. significauit. glos. expressa in d. cap. 2. de his quæ vi met. caus.

Nam licet iuramentũ metu præstitum non sit nullum ipso iure, sed sit ab eo expectanda absolutio. cap. debitores. cap. verum. vbi Dd. de iureiur. Quia etsi quo ad inferentem metum, iuramentum in effectu nõ obliget, quia actus rescindi potest, interim tamen quo ad Deum est obligatio, ideò necessaria est absolutio, vel remissio illius, pro quo Deus, vt testis intercessit. cap. 2. de iureiur. S. Thom. 22. q. 89. attamen in matrimonio id locum nõ habet propter libertatem consensûs, quæ in eo cõtractu, 11 ex natura eius à sui primordio requiritur, iuramentum verò sortitur naturam, quæ à primordio inest contractui in quo præstatur. l. fi. C. de nõ nu. pecu. quam dicit. Abb. esse sing. in cap. cùm contingat. nu. 14. de iureiur. Bald. in cap. cùm omnes. col. penult. de constit. & iure Canonico eam procedere, absq; iuramẽti absolutione probat. Fortu. in l. si vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pact. vbi n. 15. dicit exceptionem non numeratæ pecuniæ opponi posse contractui etiam iurato, quia exceptio illa propria est ipsius iuramenti, non tantum contractus.

Sic ergò in nostro casu iuramentum adhærens cõiugio per metum contracto, ita habet illam conditionem, si liber consensus interveniat, sicuti ipse coniugalis contractus. Ideò cùm ipse liber consensus deficiat ad iuramentum in hoc casu requisitus, ipsum iuramentum nullum est ipso iure. idem tenet glos. per text. ibi in d. cap. significauit.

Nec

Nec iuramentum defectum consensus supplet vt not. in cap. fin. de procurat. in 6. ita Couar. in Epitom. lib. 4 decret. 2. part. cap. 3. §. 5. nu. 2. & 3. vbi & num. 6. tradit matrimoniũ metu contractum nullum esse ipso iure, ex propria actus natura, nõ tantũ ex constitutione Ecclesiæ. 12

Ampliatur suprapositaconclusio secundò, vt matrimonium metu contractum nullum sit, etiam si metũ passus dederit coactioni causam. l. nec timorem. §. 1. ff. quod met. caus. glos. per text. ibi communiter recepta. in d. cap. veniens el. 2. de sponsalib. glos in d. cap 2. de his quæ vi met. caus. Couar. d. loco num. 7. 13

Cæterum metus nõ præsumitur illatus, nisi probetur ab eo, qui eũ allegat. per text. in l. merito. ff. pro socio. l. quoties. §. qa dolo. ff. de dolo. cap. caus. matrimonij. vbi Dd. de offic. deleg. l. si superstite. ff. de dolo. l. 1. §. quę onerãdæ. ff. quar. rer. act. nõ det. l. 2. c. de his quæ vi met. caus. Bald. consil. 63. vol. 1. Alciat de pręsumpt. reg. 3. p̃sumpt. 1. Anton. Gabriel. in suis cõclusionib. tit. de malefic. lib. 7. q. 2. Ioseph. Mascard. de probat. vol. 2. conclus. 1054. nu. 1. 14

Metus autem probari potest ex coniecturis & per testes. Bart. in l. ob turpem. ff. de condict. ob turp. caus. Dd. nouiores. in d. l. interpositas C. de transact. 15

Imò adeò in causa matrimonij iustus metus reprobatur, vt duobus testibus metum & violentiam probantib. plus fidei tribuatur, quâm centũ alijs conrrarium, videlicet, spõtaneã & liberam voluntatẽ attestantib. Hi enim de eo, quod viderunt, & in sensum corporum cadit, loquuntur. Alij verò de occulta animi intentione, & de ijs, quæ in conscientia & animo cõsistunt, & soli Deo cognita sunt, quo fit, vt duorum testimoniũ hoc casu plurium sit præferendum. Innocent. in cap. super hoc. n. 2. de renunciat. 16 17

renunciat. Bald. rn l. obſeruare. §. proficiſci. in 13, quæſt. ff. de offic. proconſ. & leg. Iaſon. in l. ſed & ſi quis. §. quæſitum. num. 11. ff. ſi quis caut. Alciat in d. tract. de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 3. num. 4. Hanc communem opinionem eſſe fatetur Dec. in cap. fin. col. fin. de appellat. Couar. d. loco. num. 10. & Andr. Gail. practicar. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 93. num. 14. & 15.

Eſt tamen communiter receptum metum nocturnum, vel clandeſtinum indicijs, præſumptionibus & cõiecturis probari poſſe, idq; propter difficultatem probationis. not. gloſ. ſing. in l. ſi cum exceptione. §. in hac actione, verbo ignorantiã. ff. de eo quod met. cauſ. Andr. Gail. d. loco. num. 17.

18 Prædicta tamen limitãtur primò, vt locum habeãt in matrimonio metu contracto copulâ carnali non ſubſecutâ, ſecus ſi poſt metum ſubſecuta ſit copula carnalis, quia tunc præcedens violentia, aut metus in conſenſum tranſit, & purgatur, dummodò voluntaria ſit copula, & non violenta, puta ſi per vim puella fuiſſet cognita. cap. conſultationi. de ſponſalib. Abb. ibid. num. 7. idem in d. cap. veniens el 2. num. 6. & cap. ad id. num. 4. in fin. eod. tit. facit text. in d. cap. veniens el 2. 19 Vbi ſi quis inuentus ſit dormire cum puella, & ideò per parentes puellæ compellatur contrahere matrimonium, tale matrimonium erit invalidum, ſi non ſubſequatur copula, quæ metum præcedentem tollat, & nouum quodammodo conſenſum inducat. Gail. d. obſeruat. num. 27. & 28.

20 Limitantur ſecundò, vt nõ procedant in matrimonio metu contracto, purgato per voluntariam cohabitationem. Etenim matrimonium metu contractũ per tanti temporis ſpontaneam cohabitationem conualeſcit, ex

cit, ex qua possit præsumi, sublatam fuisse timoris causam & spontaneum consensum accessisse. text. secundùm Ioan. Andr. Abb. & Præpos. in de cap. ad id. de sponsalib. Vnde secundùm eos cohabitatio per annum & dimidium in illo textu potius ad factum, quàm ad ius pertinet, quod sensit glos. ibidem dum ponit distichon illud.

*Effuge cùm poteris, ne consensisse puteris.*
*Nam si præstiteris, illius vxor eris.*

Metus enim tam diu durat, quamdiu durat causa metûs. text. in d. cap. 1. de his quæ vi met. caus. Couar. in Epitome. lib. 4. decretal. 2. part. cap. 3. §. 6. num. 1.

An autem metus ille, qui proficiscitur ex obsequio 22 & reuerentia, quæ Prælatis, parentibus & superioribus, debetur, matrimonij cõtractũ impediat? Huic quæstioni respondetur negatiuè. Ratio est: Quia non est talis metus qui cadat in cõstantem virũ, vel puellã constantẽ. text. in d. c. veniens el. 1. de sponsalib. Abb. ibid. n. 5. vbi ꝑ illũ text. notat valere matrimonium, si filius ob reuerẽtiã patris, ne eius indignationem incurrat, ducat puellam in vxorem, eo quod non sit inductus tali metu, qui possit in virum constantem cadere. per text. notab. in l. si patre cogente. iuncta glos. ibid. in verb. videtur. ff. de ritu nupt. glos. in c. fi. verb. vel modica. qui cleri. vel vouent. Abbati subscribunt Præpos. in d. cap cùm locum. col. 4. de spõsalibus. Calder. consil. 1. tit. de sponsalib. Host. in summa tit. de matrim. §. pen. vers. sed nunquid coactio. Imol. in d. cap. tuæ. de sponsalib. col. antepen. Et hæc est communis indubitata sententia. Secus verò est, si metus parentum non sit reuerentialis, sed talis, qui posset adferre cruciatum corporis. l. nec filium. C. de nupt. & d. l. qui patre cogente. Abb. in d. c. veniens. Gail. d. obseruat. nu 22.

23 Sed quæſtionis eſt, quid iuris ſit de matrimonio ſpirituali, nempè ingreſſu religionis, vel profeſſione vitæ Eccleſiaſticæ, an videlicet metus reuerentialis ingreſſum & profeſſionē vitiet, ita vt ſine præuaricatione ordo deſeri & deponi poſſit. Et videtur reſpondendum eſſe affirmativè, per text. notab. in cap. cùm virum. in fin. de regularib. & tranſeuntib. ad religion. gloſ. ſingular. in c. præſens Clericus. 20. q. 3. in verb. patriam. Iaſon. in §. quadrupli. nu. 62. inſtit. de action. Hyppolit. in l. vnic. C. de rapt. virg. n. 43. & in ſing. 347. vbi dicit, quod illud perpetuò ſit notandum contra parentes, qui liberos minis & verberibus compellunt intrare Monaſterium, vel vitam Eccleſiaſticam profiteri. Imol. Alexand. in l. ſi cum. §. eo autem tempore. ff. ſolut. matrim. col. pen. Imol. in cap. tuæ. de ſponſalibus. col. pen. Iaſon. conſil. 3. colum. penult. in 1. vol. Et hæc videtur communis opinio, vt refert. Couar. d. §. 6. num. 7. quam etiam ſequitur. Gail. de obſeruat. nu. 26.

24 Verùm contrarium in hac queſtione eſt aſſerendū, ſcilicet, metum reuerentialem non impedire matrimonium ſpirituale. Quod hoc probari poteſt argumento. Tanta libertas in matrimonio carnali requiritur, quanta in ſpirituali. d. cap. cùm locum de ſponſalib. Sed carnale matrimonium ex ſolo metu reuerentiali nō eſt irritum, vt ſuprà oſtenſum eſt. Ergò nec ſpirituale. Ita tenet. Abb. nullum in hoc eſſe diſcrimen, & ex hoc ſolo metu non eſſe retractandam profeſſionem aſſerit. in d. cap. cùm virum. Roman. in d. §. eo autem tempore. Præpoſ. in d. cap. cùm locum. 4. col. Felin. & Dec. in d. cap. cauſam matrimonij. de offic. deleg. Bart. in d. l. 1. §. quæ onerādę. ff. quar. rer. actio non det. gloſ. etiā in d. c. præſens Clericus hanc

cus hanc eandem sententiã probat,dum d. l. si patre cogente intelligit in metu leui,illum verò canonem in d.c. præsens Clericus.intelligere videtur in metu,seu coactione graui: Non ergò intelligit illum textum in solo metu reuerentiali. Quæ omnia si exactè perpendantur,eo tẽdunt, vt nulla sit constituenda differentia inter matrimonium carnale & spirituale, ita pulchrè & doctè, vt omnia. Couar. d. §. 6. nu. 8.

Ex quo infertur primò, quod filia ingrediens Monasterium perinde dotari debeat, atq; filia nubens viro: Quia & illa nubere dicitur, quæ nubit in Christo. c. hæ verò. &c. quæ Christo. 27. q. 1. 25

Secundò infertur, Legatum relictum nubenti, deberi etiam religionem ingredienti. text. in Auth. Nisi rogati. C. ad S. C. Trebel. 26

Et quoniam suprà dixi metum præcedentẽ per voluntariam copulam & spontaneam cohabitationẽ purgari, hîc quæri posset, quid de lætitia vultu simulata dicẽdum, an per eam quoq; metus præcedens sublatus esse videatur? Respondetur quod non, si appareant signa latentis metûs, quia signa exteriora lætitiam præ se ferentia nullius sunt momenti, quandò certa metûs indicia adhuc conspicua sunt: multi enim vultu risum simulant, & premunt nihilominus alta mente dolorem. Alexander. consil. 99. incip. In casu prædicto. numer. 6. 7. 88. & consil. 98. incip. Quoniam numer. 7. vol. 3. Innocent. d. cap. super hoc. de renunciat. Gail. d. obser. num. 32. in fin. 27

Prædictis est & illud notatu dignum addendum, quod, cùm in matrimonio maior sit exigenda libertas, cæteri contractus non sint, ex solo metu reuerentiali re-

ſcindendi, niſi præceſſerint minæ illatæ ab eo, qui ſolet, quod minatur, exequi. Bart. in d. l. 1. §. quæ onerandæ. licet gloſ. ibi indiſtinctè dixerit contractus ex hoc metu eſſe reſcindendos.

Eſt tamen intelligenda, vti Bart. eã intellexit, quem ſequitur. Abb. in cap. cum contingat. de iureiur. col. 1. idem Abb. in d. cap. cum dilectus. de his quæ vi met. cauſ. Couar. d. §. 6. nu. 4. cum mult. allegat. Doctorib. Niſi enormis læſio in contractu contingat cum metu obſequij & reuerentiæ. Nam hoc ſolùm etiam minis nõ probatis ſufficeret ad reſcindendum contractum, etiam ſi iuratus eſſet, vt tradit. Aret. conſil. 24. col. 2. Hymon Crauet. cõſil. 11. col. penult. & probat Paul. Caſtrenſ. conſil. 184. nu. 4. lib. 1. ex text. in d. l. ſi ſuperſtite. C. de dolo. refert & ſequitur. Couar. iam citato loco.

## Ex Capite Sexto ſummarium.

1 *Matrimonium per errorem contractum an valeat.*
2 *Principale requiſitum ad legitimum Matrimonium eſt conſenſus contrahentium.*
3 *Errantis nullus conſenſus.*
4 *Error cognitionem remouet, quæ eſt cauſa conſenſus.*
5 *Quatuor ſpecies erroris circà cauſas matrimoniales.*
6 *Error perſonæ, & conditionis, an impediat matrimonium & num. 7.*
8 *Matrimonia præſumpta hodiè ceſſant.*
9 *Error fortunæ & qualitatis, an dirimat matrimonij contractum. & num. 10.*
11 *Matrimonium dolo contractum an valeat.*
12 *Dolus dans cauſam matrimonio ſpirituali, an illud irritum faciat.*

13 *Monachi*

## CAPVT SEXTVM.

AD quæstionem secundam; An scilicet matrimonium per errorem cõtractum valeat necne, est responsio, huiusmodi matrimonium non valere. per text. in c. vnic. 29. q. 1. 1

Ratio est: Nam principale requisitum ad legitimũ matrimonium est consensus contrahentium, qui etiam solus absq; concubitu matrimonium efficit. l. nuptias. ff. de reg. iur. 2

Errore igitur interveniente, matrimonium vitiatur, cum errantis nullus sit consensus vel voluntas. l. non idcirco. & l. cùm testamentum. in fin. C. de iur. & facti ignor. Tollit enim error consensũs libertatem, cùm nihil tam contrarium sit consensui, quàm error. l. si per errorem. ff. de iurisdict. omnium iudic. l. alioqui. ff. de cõtrahend. empt. 3

Ratio allegatorum iurium est: Quia error cognitionem remouet, quæ est causa consensũs, & omnium actuum voluntatis, assertore S. Augustino. lib. 5. de Trinit. Dei. 4

Sciendum tamen hîc est de iure Canonico, non

omnem errorē consensum excludere, ideò quatuor species erroris circa causas matrimoniales inferuntur. in d. c. vnic. & per Canonistas. in cap. 2. de coniug. seruor.

6 Primus est error personæ, vt cum quis credit se contrahere cum Maria, contrahit cum Catharina, is enim minimè consentit in matrimonium cum Catharina, cùm desit principale requisitum, nimirum consensus in persona, vt not. post text. in cap. tua. ibi nec consensit in personam. de sponsalib. & d. cap. vnic. Et hic error impedit matrimonium contrahendum & dirimit contractum.

7 Secundus est error conditionis, vt cùm liber homo putat se contrahere cum libera, contrahit cum serua, seu ancilla, is enim nullo pacto in coniugium consentit. d. c. 2. de coniug. seruor. Magist. in 4. sent. dist. 30. Et hîc quoq; error impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit. d. cap. vnic. 29. q. 2. §. his ita. Et si matrimonium erroneum fuerit clandestinum, se propriâ authoritate separare potest, quo ad thorum & cohabitationem, si verò est in facie Ecclesiæ contractum, se quo ad thorum separare potest, at non quo ad cohabitationem, nisi per sententiam Ecclesiæ. arg. cap. porrò. & cap. significasti. de diuort. Martin. Nauar. in Enchirid. confessar. cap. 22. nu. 33.

Si tamen liber postquam resciuit esse ancillam vel seruam, consensit in eam, saltem per copulam vxorio affectu habitam, matrimonium fit validum secundùm iura aliqua. glos. communiter recepta. per text. ibi in cap. vltim. de coniug. seruor. tradit Henric. in d. cap. 2. eod. tit. & hanc esse magis communem opinionem tradit. Syluest. in verb. matrimonium, 8. q. 3. Couar. in Epitome.

tome. lib. 4. decretal. 2. part. cap. 3. §. 7. nu. 1. verſ. Si tamen. quæ tamen poſt Concil. Trident. non procedit, poſt quod ceſſant matrimonia præſumpta, vt tradit Martin. Nauar. d. cap. 22. numer. 25. 28. & 33. & cap. 25. numer. 44. 8

Tertius eſt error fortunæ, vt quando quis ducit pauperem, quam putat eſſe diuitem, & talis error, cùm ad eſſentialia matrimonij non pertineat non diſſoluit matrimonium. d. cap. vnico. Nam contrahens verbi gratia cum Maria paupere, quam credit diuitem, in eius perſona non errat, nec in eius conditione, ſed in illam conſentit, vnde matrimonium contrahit. 9

Hoc tamen limitatur verum eſſe, quando quis purè contrahit. Nam ſi ſub conditione quis contrahat cum aliqua, veluti ſi tot aureos dederis in dotem, & tali conditione appoſitâ, & non purificatâ, non tenetur conſummare mātrimonium. cap. de illis. de condit. appoſit.

Quartus eſt error qualitatis, vt cùm quis ignorans ducit ignobilem, quam tamen credebat eſſe nobilem, vel ab alio compreſſam, aut grauidam, quam tamen putabat eſſe virginem; & talis quoq; error non vitiat matrimonium. Cùm non pertineat ad ſubſtantialia matrimonij: hic enim error non impedit conſenſum in fœminam, qui conſenſus coniugalis eſt, quod probat text. in ſæpè d. c. vnic. 29. q. 1. Bald. in l. cum Archimedoram. C. vt in poſſeſs. legat. Iaſon. in §. fuerat. Inſtit. de actionib. nu. 13. 10

Cùm ergò nobilitas, virginitas & diuitiæ non pertineant ad ſubſtantiam matrimonij neq; ſint cauſa finalis matrimonij, ſed impulſiua, ideò ſibi imputare debet, qui contraxit cum eâ, cuius conditionem exactius explorare debuit.

debuit.l.qui cum alio.ff.de reg. iur. Deinde nota eſt regula: Deficiente quavis cauſa impulſiua, non tamen deficere, neq; ad nihilum redigi actum ſeu contractum. gloſ. in l.1.verb.origo.ff.de poſtuland. Tiraquell.in tract. reg. ceſſante cauſ.

Ex quibus infertur reſponſio ad tertiam quæſtionem, qua quæritur, vtrum matrimonium dolo contractum valeat, vel an ſuper illo diuortium quo ad vinculũ concedendum, videlicet, ſi adoleſcens opinione magnarum diuitiarum doloſè perſuaſus, ducat aliquam in vxo-
11 rem, infertur inquam reſponſio, matrimonium illud valere & ſubſiſtere, etiam ſi maritus opinione ſuâ fruſtratus, nihilq; vxor, aut parùm in bonis habeat.

Ratio prior eſt: Quia huiuſmodi dolus, etiam ſi det cauſam contractui, non eſt contrà eſſentialia matrimonij, cùm contingat ſolùm circa errorem fortunæ. text. ſingular. in c. conſtituit. 20. q. 3. gloſ. ibid. in verb. cogantur, gloſ. in l. à Diuo Pio. ff. de ritu nupt. in verb. actionem. gloſ. in cap. cùm dilectus. in verb. metum. de his quæ vi met. cauſ. & Abb. ibid. num. 13. vbi hoc limitat, vt non procedat, ſi dolus tam enormis ſit, vt etiam conſenſum tollat. Iaſ. in l. pacta nouiſſima. C. de pact. And. Gail. practicar. obſeruat. lib. 2. obſer. 93. num. 11.

Altera ratio eſt: Quia matrimonium nõ bonorum acceſſione, ſed conſenſu perficitur. l. fin. C. de repud. d. l. nuptias. ff. de reg. iur. Iaſ. in d. l. pacta nouiſſima. nu. 13.

Idem dicendum eſt de dolo contingente in matri-
12 monio ſpirituali. Etenim ſi quis dolo inductus religionem ingrediatur, talis dolus non vitiat religionis ingreſſum, nec datur reſtitutio in integrum. Cuius eſt ratio: Quia bonus dolus eſſe cenſetur, quo quis ad meliorem vitam

vitam inducitur. text. notab. in c. constituit. 16. q. 7. & in d. cap. cùm dilectus. glos. ibid. in verb. ad fatuitatem. Abb. ibid. nu. 12. & in cap. præterea. nu. 5. de offic. iudic. deleg. vbi dicit, ingressum & professionem valere, sed bona professi non cedere Monasterio, si Monachi spe suc- 13 cessionis dolose ingressum Iuueni persuaserint per text. in d. c. constituit. 16. q. 7. Gail. d. obseruat. nu. 12. & 13.

Ex his obiter hîc est notandum, restitutionem in 14 integrum in spiritualibus locum non habere. text. cum glos. quam Abb. ibi dicit. sing. in d. cap. cùm dilectus. Nam & quod minor viginti quinq; annis in matrimonij contractu nequaquam sit restituendus, etiam enormiter læsus, siue loquamur de matrimonio carnali siue spirituali, tradit Speculat. tit. de integr. restitut. §. qualiter. versic. quid si minor. Bald. in Rubr. de iudic. 1. lectur. col. 2. Alberic. in l. 1. C. si aduers. dot. etiam si dolus causam contractui dedisset. Ratio enim iam est reddita: Quia huiusmodi lęsio, etsi ex dolo proveniat, non tamen est contrà substantialia matrimonij, indissolubile enim est matrimonij vinculum à consensu procedens semel contractum, vnde propter læsionem non dissoluitur.

Hæc tamen limitantur locum non habere, quoties minor in matrimonio & alijs spiritualibus læsus fuerit 15 circa ea, quæ sunt accidentia, vt si circa dotem in contractu matrimonij læsus fuerit, tunc enim in integrum restitui potest ac debet. l. si ex causa. §. 1. ff. de minoribus. Alberic. in d. l. 1. C. si aduers. dot. Couar. variar. lib. 1. cap. 5. nu. 1. versic. 3. & nu. 8. versic. Rursus.

Dictum est hactenus, quid iuris sit, si matrimonium errore vel dolo contractum sit, nunc non incommodè, quæritur, An matrimoniũ furore contractum sit validũ. 16

Reſpondetur breuiter furorem & impedire & dirimere matrimonium ob defectum conſenſus. cap. dilectus. de ſponſalib. not. Magiſt. in 4. ſent. diſt. 34. & ibi S. Thom. quod intelligendum eſt, qnandò in ipſo contractu intervenit, non autem ſi præceſſerit coniugium, per dilucida interualla contractũ. d. c. dilectus. vbi glo. Abb. & Dd. aut ſubſequatur. l. furor. ff. de ſponſalib. l. oratione. §. fin. ff. de ritu nupt. Quemadmodũ ſuperveniens calimitas, vel pœna non ſoluit matrimoniũ. l. ſed ſi. ff. de bonis damnat. & § deportatio. in Auth. de nupt. collat. 3. Ita nec furor. l. patre. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. iur.

17 Quod dicitur de furioſo, hoc idem extenditur ad mente captum. Nam & ab illo matrimonium contractum invalidum eſt, cùm is careat intellectu, quo cõſenſum præſtare poſſit, ac furioſo ſimilis ſit. l. 2. C. de curat. furioſi. C. de nupt.

Quia verò ebrietas ſpecies eſt furoris, cùm ſcilicet 18 tanta eſt, vt totam mentis rationem, & iudicandi facultatem omnẽ ſepeliat, atq; adimat: In hac enim cùm nullus ſit conſenſus, dicendum eſt, fidem in eiuſmodi vinolentia datam, non obligare. c. vnuſquisq;. 22. q. 4. c. ſanè. 15. q. 1. gloſ. Bald. & Salicet. in l. dotem. C. de loco. Couar. in epitom. lib. 4. de ſponſalib. 2. part. cap. 2. nu. 5 8. & 9. latè Tiraquell. in tract. de poen cauſ. 6. nu. 8.

## Ex Capite Septimo ſummarium.

1 *Matrimonia, à liberis ſine conſenſu parentum contracta, an valida ſint.*

2 *Argumenta pro ſententia negatiua & nu. 3. 4. 5. & 6.*

7 *Sentẽtia affirmatiua aſſeritur, nempè matrimonia à filijs ſine conſenſu parentũ contracta eſſe firma & valida.*

8 *Matri-*

8 *Matrimonia debent eſſe libera.*
9 *Statuta contra libertatem matrimonij non valent.*
10 *Argumenta pro ſententia affirmatiua & nu.* 11. 12. 13.
14 *In ſpiritualibus patriæ poteſtatis nulla habetur ratio.*
15 *Impuberes nec matrimonij contractum celebrare, nec religionis votum præſtare poſſunt.*
16 *Ad matrimonij contractum, quæ ætas iure Canonum neceſſaria.*
17 *Ratio differentiæ, cur in fœmina.* 12. *anni ſufficiant, & non ſic in maſculo.*
18 *Si malitia ſuppleat ætatem, poteſt puer ante* 14. *annos matrimonium contrahere.*
19 *Reſponſio ad primum argumentum pro parte negatiua ex iure naturali ductum.*
20 *Reſponſio ad ſecundum argumentum ex iure ciuili ſumptum.*
21 *Obiectio.*
22 *Dilutio.*
23 *Multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent.*
24 *Reſponſio ad argumentum ex iure Canonico ſumptum ex c. aliter.* 30. *q.* 5. *& nu.* 25.
26 *Reſponſio ad c. honorantur.* 32. *q.* 2.
27 *Ad c. ſponſus.* 30. *q.* 5. *reſponſio.*
28 *Ad c. qualis ead. cauſ. & quæſt. ſolutio.*
29 *Reſponſio ad c. hoc ſanctum.* 32. *q.* 2.
30 *Ad c. noſtrates.* 30. *q.* 5. *reſponſio.*
31 *Reſponſio ad c. de raptoribus.* 36. *q.* 1. *& c. apud. ead. cauſ. q.* 2.
32 *Inter raptorem & raptam hodie non poteſt conſiſtere matrimonium, quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris.*

## CAPVT SEPTIMVM.

1 SVCCEDIT quarta quæstio; An matrimonia à liberis sine consensu parentum contracta valida sint, vel ob illorum dissensum rescindi possint? In hac quæstione duæ sunt repugnantes sententiæ, vna negatiua, altera affirmatiua. Negatiuam tenent communiter omnes Lutherani & Caluinistæ: Affirmatiuam omnes Catholici & Orthodoxi. Negatiua, quod nempè matrimonia filiorum inuitis pa-
2 rentibus contracta, irrita sint, videtur primò probari posse ex iure gentium, seu naturali secundario, quod apud omnes gentes per æquè obseruatur. text. in princip. instit. de nupt. vbi posteaquam sancitum est, requiri in nuptijs consensum parentum, subiunguntur hæc verba: Nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio suadet, in tantum, vt iussus parentum præcedere debeat. Liberi enim parentibus de iure gentium obedientiam, & reuerentiam præstare iubentur. l. 2. ff. de instit. & iur.

3 Secundò probatur ex iure ciuili, hoc enim ratione patriæ potestatis ad substantiam matrimonij requirit de necessi-

necessitate consensum parentum, & prohibet sponsalia liberorum absq; parentum potestate contrahi suprà allegato. text. in prin. instit. de nupt. & l. 2. ff. de ritu nupt. & l. vnic. §. oportet. C. de rapt. virg. vbi eleganter inquit Imperator, oportet, vt quicunq; vxorem ducere voluerit, secundum nostras leges, & antiquam consuetudinem parentes, vel alios, quos decet, petat, & cum eorum volũtate legitimum fiat coniugium.

Tertiò, probatur sententia negatiua ex iure Canonico. Nam pluribus Canonibus probatur ad substantiam matrimonij etiam requiri consensum parentũ; Primo. c. aliter. 30. q. 5. vbi dicitur. Aliter legitimum non sit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quib. custoditur, vxor petatur, & à parentibus & propinquiorib. sponsetur &c. Secundò c. honorantur. 22. q. 2. Tertiò, c. sponsus. 30. q. 5. Quartò, c. qualis ead. caus. & quæst. Quintò, c. hoc sanctum. 32. q. 2. Sextò, c. nostrates. 30. q. 5. in quo canone inter alios ritus nuptiarum ponitur, vt fiant de consensu parentum. Septimò, c. de raptoribus. 36. q. 1. vbi dicitur puellam raptam reddendum esse patri, etiam si raptori ipsa consenserit. Octauò, c. apud. ead. caus. q. 2. vbi legitur, cum rapta patri fuerit restituta, si voluntas parentis vtriusq; in vnum conuenerit, non prohibentur inuicem copulari.

Quartò, hęc eadem sententia probatur ex iure diuino: Nam scriptura tradit præcepta parentibus, de filiabus in matrimonio collocandis. Deuter. 7. Hierem. 29. & 1. Corinth. 7. Exstat etiam lex diuina. Exodi. cap. 22. & Deuter. cap. 22. vbi dicitur, si quis virginem stuprauerit, det patri eius certum numerũ siclorum, & eam vxo- 5

rem habeat, ſi pater voluerit, vel non habeat, ſi noluerit. Ex quo intelligitur, patriæ poteſtatis eſſe, coniugium filiæ ratum vel irritum reddere.

Prætereà ſi puella Deo vouerit aliquid, poteſt pater votum illud irritare, vt traditur. in lib. numer. 30. Igitur multò magis irritare poterit idem pater promiſſionem homini de coniugio factam.

6 Denique, Deus coniungit virum vxori in legitimo matrimonio, ſed non coniungit immediatè, vt olim Adamum Euæ; Ergò per aliquod medium.

Quod ſi autem medium ipſe explicat in traditione quarti præcepti, vbi iubet filios parentibus obedire: Ergò qui his medijs ſpretis matrimonium cõtrahunt, non poſſunt certè pronunciare, coniugium illud eſſe diuinam & legitimam coniunctionem.

Verùm his & ſimilibus argumentis non obſtan-7 tibus, contraria & quidem affirmatiua ſententia hac in quæſtione conſtantiſſimè eſt aſſerenda, nempè matrimonia ſine conſenſu parentum à filijs contracta, eſſe firma rata & valida, & proindè á parentibus irritari & reſcindi non poſſe.'

8 Ratio eſt: Quía matrimonia libera eſſe debent, & non pendere ex alieno arbitrio. cap. cùm locum. de ſponſalibus. cap. ſuper eo: de condit. appoſ. l. Titia. ff. de verb. oblig. l. nec filium. & l. nec ab initio. C. de nupt. Nam inuitæ nuptiæ difficiles exitus habere conſueuerunt. d. cap. cùm locum. cap. requiſiuit. & cap. gemma. de ſponſalibus. l. fin. C. eodem titul. gloſ. in cap. Abbas. in verb. coactus. de his quæ vi met. cauſ.

9 Adeò vt ſtatuta contra libertatem matrimoniorum

rum inducta sint ipso iure nulla. tex. in c. 1. de sponsalib. & per notata. in cap. Ecclesia. S. Mariæ. de constitut. Dd. in Auth. Cassa. C. de S. S. Eccles.

Probatur hæc sententia primò exemplis scripturæ diuinæ. Genes. 26. Esau duxit vxores duas, quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ parentũ eius; proinde inuitis parentibus eas accepit. Et rursus. cap. 28. accepit tertiam contra eorumdem parentum voluntatem: Nec tamen Isaac ea coniugia irritauit, & scriptura simpliciter vxores vocat. quæ ita ductæ fuerant. 10

Deinde Iacob Genes. 29. & 30. duxit vxorem vnam secundùm consilium suorum parentum: sed alias tres, & præsertim duas ancillas, duxit parentib. omninò inscijs; nec tamen Iacob Sanctissimus Patriarcha id fecisset, si credidisset necessarium esse consensum parentum. Tobias quoq;, vt legitur. cap. 7. libri Tobiæ vxorem duxit in aliena regione, parentib. ignorantib. nec tamen Angelus Raphaël, qui cum ipso erat, eum admonuit, vt parentum consensum peteret, vel exspectaret, neque ipse religioni sibi duxit, inscijs parentibus id facere.

Secundò probatur ex iure Canonico. cap. cùm virum. de Regularibus vbi Clemens. III. de puella nubili ita loquitur. Tunc, quia liberum habet arbitrium, in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem. 11

Huc pertinet illud Sancti Ambrosij dictum. in lib. de virginibus, vbi inquit, cui licet maritum eligere, non licet Deum præferre? Vbi docet licere puellæ virgini, patre etiam inuito, continentiam Deo vouere; sicut eidem licet virum eligere. Et idem S. Ambrosiut in epist. 43. ad Sysinnium, qui filio indignabatur, quod sine suo consilio

filio vxorem duxiſſet, dicit, culpam aliquam ab eo filio admiſſam, tamen ſatis apertè indicat, matrimonium fuiſſe ratum, & Syſinnium laudat, quod facilè culpam ignouerit filio. Robert. Bellar. lib. 1. de matrim. ſacram. cap. 19.

Huc etiam pertinent plures alij Canones, quibus probatur ad matrimonium contrahendum, eorum ſolùm conſenſum requiri, inter quos illud contrahitur, vt c. ſufficiat. 27. q. 2. gloſ. ibid. in verb. ſolus. d. cap. cùm locum. cap. cum apud. de ſponſalib. cap. vnic. eod. in 6. cap. tuas dudum. de ſponſ. duor. c. vbi non eſt. 30. q. 2. & c. fin. 32. q. 2. ita vt parentum conſenſus de iure Canonico, quod in matrimonio tanquam in materia ſpirituali ſequendum eſt, non ſit neceſſarius. text. in cap. cùm cauſam de raptorib. & in cap. per tuas. de condit. appoſ. & in d. c. ſufficiat.

Probatur etiam hæc ſententia nouiſſimo iure Canonico Concil. Trident. ſeſs. 24. in decret. de reformat. matrim. vbi in hæc verba ſtatuit. Sancta Synodus anathemate damnat eos, qui falsò affirmant matrimonia à filijsfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.

12 Tertiò probatur aſſertio & ſententia Catholicorum ex iure Cæſareo nouiſſimo. Nam Carolus V. auguſtiſſimæ & immortalis memoriæ Imperator Romanorum conſtitutione facta Auguſtæ Vindelicorum. Anno 1548. Titulo **vom Sacrament der Ehe. §. Darumb dieweil/** in hæc verba ſanciuit. **Darumb dieweil der Vätterlich gewalt dieſer vereinigung des Eheſtandts von Rechts wegen weichen muß/ ſoll man die nicht hören/ die zu vnſern zeiten ſagen/ daß die Ehe/ oder verſprochen Heürat**

rat wider zertrent werden / vnd nicht gelten sollen / wo der Eltern bewilligung nicht darbey gewest ist. Cuius constitutionis subiungit hanc causam, Quia, inquit, matrimonij contractus coniungit homines vinculo indissolubili: Et propter hoc deserit homo patrem & matrem.

Quartò probatur hæc eadem sententia ratione, quam ponit. Bellar. d. cap. 19. In eiusmodi coniugio nihil eorum deest, quæ ad essentiam matrimonij pertinent; verum igitur & ratum atq; adeò insolubile matrimonium erit. 13

Probatur Antecedens: Nam consensus contrahentium adest, & proinde intentio Ministri: adest materia, quæ sunt personæ ad matrimonium idoneæ; adest forma, id est, verba seu signa mutui consensus: quid igitur deest? Dicent consensus non est plenus, ac sufficiens; Nam cùm filij sint in potestate parentum, non possunt in re tàm graui sine paretum facultate aliquid constituere. Respondeo, vel consensus filiorum non est plenus, quia deest vsus liberi arbitrij, vel quia deest consilij maturitas, vel quia ita subijciuntur filij parentibus, vt ius non habeant de statu vitæ suæ disponendi.

Primum dici non potest, quia tunc etiam cum parentum consensu, coniugium non esset. Nec secundum dici potest. Nam ad matrimonium contrahendum non exigitur, necessariò consilij maturitas, sed solùm vsus liberi arbitrij, qualis etiam requiritur ad peccandum, ad merendum, ad vouendum, &c. alioqui daretur occasio matrimonia passim dirimendi.

Quocirca solùm pubertatem in contrahentib. Canones exigunt. Deinde sæpè accidit, vt qui parentes adhuc habet, sit vir maturioris consilij, quàm multi alij, qui

parentibus alijsq; maioribus orbati sunt:. Si igitur hi posteriores vxorem eligere possunt, sine vllius alterius consilio, cur non etiam priores illi, qui sunt his, vt iam ponimus, prudentriores? Sed neq; tertium dici potest. Nam filius licet patri obedientiã & reuerentiam debeat, tamen quando vsum liberi arbitrij habet, liber est, & sui iuris, nõ minus quam pater, in his, quæ ad statum vitæ pertinent.

Quarè poterit quidem peccare, dum non sequatur patris directionem in statu eligendo, tamen quod facit, ratum & firmum erit, quia de re sua non de aliena disponit. Prætereà coniugium seruorum inuitis Dominis, firmum ac ratum esse, Theologi rectè docent, & habetur in iure Canonico. cap 1. de coniug. seruor. non enim ius gentium, quo seruitus introducta est, id potuit auferre, quod ius naturæ concessit. Ergò multò magis coniugium filiorum inuitis parentibus erit ratum: maior enim subiectio est seruorum ad dominum, quàm filiorum ad parentes. hactenus Bellar. qui & d. loco hoc argumentum ex testimonio aduersariorum confirmat, vti apud illum latius est videre.

14 Ex quibus satis constat filiosfam. etiam minores in causis spiritualibus, vt matrimonio, voto vitæ Monasticæ, & similibus iure diuino, Canonico, & ciuili nouissimo summam habere libertatem, & in ijs quæ ad vitæ statum eligendum spectant, eos non pendere absolutè à patre vel curatore, in hisce enim consistit libertas Euangelica. c. duæ sunt. circa fin. 19. q. 2. cap. fin. §. fin. de iudic. in 6.

Prædicta tamen omnia locum habent solùm in filijs puberibus, non autem in impuberibus, hoc est, existentibus infrà 14. annos, tales enim impuberes nec ma-
15

trimonij

trimonij contractum celebrare possunt, nec religionis votum præstare. cap. 1. de regularibus. & cap. 1. eod. tit. in 6. Et parentes Curatoresq; religionis votum antè annos pubertatis præstitum irritum facere queunt. c. puella. 20. q. 2. glos. in cap. 2. verb. intrà annum. de regularibus. Et matrimonium ante. 14. annum à puero celebratum est nullum.

Etenim ad matrimonij vinculum ætas. 14. annorũ in masculo, & in fœmina. 12. à canonibus & legib. definita est. c. puberes. cap. attestationes. cap. continebatur. cap. ex literis. de desponsat. impub. l. quæsitum. l. in sponsalib. vbi glos. ff. de sponsalib. l. minorẽ. ff. de ritu nupt. & instit. de nupt. in prin. Ratio differentiæ, cur in fœmina 12. anni sufficiant, & nõ sic in masculo, est: Quia fœminæ in 12. ætatis anno incipiunt purgationes, quo tẽpore viri potens creditur, vt tradit Macrobi. lib. 1. in somnio Scipionis. c. 6. In viris verò anno ætatis 14. generatiua vis incipit. 16

Rationem rationis tradit. glos. in l. qua ætate. ff. qui testam. facere poss. vbi inquit, quod fœmina sit citius sagacior. & glos. in l. 2. C. de his qui veniam ætat. impetr. vbi inquit, quod mala herba citò crescat. & Plutarchus in Problematib. vbi dicit; Natura causã sustinet, & augetur fœmina, & crescit, & adulta efficitur, antequã masculus. 17

Hoc tamen tempus masculorum matrimonio præfinitum non est de forma nec substantia. Etenim si malitia seu potentia suppleat ætatem, potest puer antè quatuordecim annos matrimonium rectè contrahere. cap. de illis. 2. d. cap. puberes. cap. fin. de desponsat, impub. (hæc tamen potentia ad illam vsq; ætatem non præsumitur. d. cap. puberes. & cap. 1. §. idem quoq;. eod. tit. lib. 6. iunctis. glos. & comment. Doct. Nam Canones in

nuptijs pubertatem, non ex annorum numero, sed coëundi potentia dignoscendum statuerunt. d. cap. puberes. Sic glos. in summa. 20. q. 1. meminit pueri, qui cùm esset nouem annorum, nutricem impraegnauit, ex authoritate. D. Gregorij. lib. 4. Dialogor. cap. 19. Idem testatur D. Hieron. in epist. ad Vitalem presbyterum, vbi quoq; narrat Salomonem in decimo anno genuisse Roboam, & Achaz in vndecimo aetatis anno procreasse Ezechiam, quae & plura alia refert Andr. Tiraq. tract. de legib. connubialib. leg. 6. num. 37. & Couar. in Epitome. de sponsalib. 2. part. cap. 5. num. 4. Sed hac de re satis: Nunc argumenta pro sententia negatiua allata sunt dissoluenda.

19 Respondetur igitur ad primum argumentum ductum ex iure naturali, nempè rationem naturalem docere nuptias non debere iniussu parentum celebrari. Et hoc verè asserit citato loco Iustinianus: Si quidē iure naturae filius patri subijcitur, & ab eo regendus esset, à quo accepit, vt esset, tamen ius naturę non docet irritum esse matrimonium, si iniussu parentum fiat. ita Bellar. lib. 1. de matrim. sacram. cap. 20.

20 Ad secundum argumentum ex iure ciuili sumptū, respōndetur primò, allegatas illas leges ad honestatem, non necessitatem referendas esse.

Secundò respondetur leges ciuiles in hac quaestione non multùm referre, quid statuerint, cum vt scribit. Lucius Papa III. cap. Clerici. de iudic. Imperator ipse fateatur, non dedignari leges sacros canones imitari: & habemus hanc Imperatoris confessionem in Auth. vt Clerici apud proprios Episcopos. §. penult. collat. 6.

Cum igitur sacri Canones, & nuper Concilium Triden-

Tridentinum definierit, matrimonium inuitis parentibus contractum, modò non sit clandestinum (hoc enim idem Concilium irritauit) ratum esse; non possunt leges contrarium definire, & si quid definierint, abrogatæ iudicandæ sunt, ita respondet. Bellar. d. cap. 20. Quin & ipse Imperator Carolus V. anteriorum Cæsarum leges, de matrimonio inuitis parentibus à filijs fam. contracto, latas, abrogauit, cùm constitutionem de Sacramento matrimonij planè Canonib. conformem in Comitijs Augustæ Vindelicorum in Germania Anno 1548. habitis, condiderit & promulgarit.

21 Verùm obijciet aliquis, & dicet, doctrinam hāc nec satis honestam esse, nec satis piam, quod liberos abducat & abstrahat ab obedientia, quam parentibus debent iure Decalogi, & fenestram aperiat ad inobedientiam.

22 Respondeo nec Pontifices, nec Imperatorem Carolum V. prohibere, ne filijfamilias contracturi matrimonium parentum vel Curatorum requirant consensum: Quinimò confirmant honestè, pie & laudabiliter fieri, si parentum consensus adhibeatur, vti in responsione ad primum argumentum, pro negatiua sententia adductum dictum est; Id tantùm volunt, matrimonium ritè contractum ob intermissum consensum nec dissolui nec irritari posse à parentibus, vt expresè declarat Carolus in allegata constitutione. d. tit. **vom Sacrament der Ehe/** sequentibus verbis. **Hiemit wollen wir aber dem gehorsam nichts entziehen/ den die Kinder jhren Eltern schuldig seind/ sonder wollen nicht daß die Eltern in verhinderung oder trennung der Ehe/ jhren gewalt mißbrauchen sollen. Weil wir aber der Erbarkeit gemeß achten/ daß die Kinder sich nicht verheuraten sollen ohne**

raht vnd bewilligung jhrer Eltern/ sollen sie/ was jhnen dißfals gebüren wil/ durch die Priester vermahnt werden. Quibus verbis Imperator non vetat, imò præcipit, adhiberi ad nuptias consensum paternum, ita tamen, vt si requisitus is fortè non fuerit, valeat nihilominus matrimonium, & irritum à parentibus reddi nequeat. Prohibentur itaq; liberi absq; parentum consilio contrahere nuptias, si tamen paterno consensu neglecto contrahant firmum est ac validum matrimonium.

23 Nam multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. cap. ad Apostolicam. de regularib. vbi glos. verb. obtinent. l. non dubium. vbi glos. C. de legib. l. patre furioso. §. Quare. vbi glos. verb. retinere. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. cum similib.

24 Ad tertium argumentum sumptum ex iure Canonico, & quidem primò ad c. Aliter. 30. q. 5. respondetur, allatum illum canonem pro contraria parte referendum esse ad honestatem, non quod matrimonium sine consensu parentum contractum nullum sit glos. in d. c. sufficiat. 27. q. 2. & in d. cap. cùm virum. de regularib. & c. vlt. 32. q. 2.

Secundò respondetur. d. c. Aliter. multas requirere conditiones, vt matrimonia censeantur legitima, quarum conditionũ nonnullæ aduersarijs nullo modo placere possunt. Quare hoc decretum non minus cum adversarijs, quàm nobiscum pugnat: requirit enim inter cætera, vt vxor cum precibus, & oblationibus (id est cum sacrificio Missæ) à Sacerdote benedicatur: Item vt coniuges biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant. Quæ conditiones si necessariæ sunt, vt coniugia legitima sint, nulla erunt inter Lutheranos legiti-

legitima coniugia: neque enim oblationem Deo pro nupturis offerunt, neque biduo vel triduo continentiam seruant.

Prætereà multæ ex illis conditionibus, ita sunt extrinsecæ, & accidentariæ, vt stultum sit, credere sine illis coniugium irritum esse, quales sunt, vt vxorem paranymphi custodiant, vt propinqui comitentur, vt ea legitimè dotetur, & solenniter accipiatur, &c. Quare cogimur Euaristum authorem illius canonis non voluisse significare, eas omnes conditiones esse necessarias, ita vt si vna vel altera desit, irritum sit matrimonium: Sed ita legitimum esse coniugium, si illa omnia adsint, vt è contrario si nulla earum adsit, & coniugium occultè sine testibus, & sine vlla celebritate contrahatur, legitimum haberi non possit, non quidem in conscientia, sed in foro externo, & apud Ecclesiam, quæ non iudicat de occultis. Ita respondet. Bellarminus. d. capit. 20. 25

Ad c. Honorantur. 32. q. 2. respondetur, Nihil in illo contra sententiam nostram haberi, sed solùm S. Ambrosium hortari puellas, vt ad exemplum Rebeccæ, permittant parentibus iudicium de nuptijs suis. Sin verò secus fiat, sintne legitimæ nuptiæ an non, Ambrosius eo loco nihil definit. 26

Ad c. sponsus. 30. q. 5. est responsio, istum solùm iubere, vt cùm sponsus & sponsa benedicendi sunt á sacerdote, offerantur Ecclesiæ à parentibus & paranymphis, quod faciendum esse nos minimè negamus. Verùm inde nō sequitur, coniugium esse irritum, si ista non fiant, cùm ista ad solennitatem, non autem ad essentiam pertineant. 27

28 Ad c. qualis ead. cauſ.& quæſt. reſpondetur,ibi nihil eſſe contra noſtram ſententiam,cum tantùm deſcribat iſte canon ritum nuptiarum,non autem definiat, irritum eſſe coniugium, ſi ritus illi non ſeruentur. Hic tamen canon expreſsè eſt contrà aduerſarios. Ita enim concludit: ſi fornicata fuerit vxor,dimittenda eſt,ſed illâ viuente,altera non ducenda,quia adulteri regnum Dei non poſſidebunt. qua de re ſuo loco agemus.

29 Ad c. hoc ſanctum. 32. q. 2. vbi hoc ſolùm legimus, vt nulla virgo extra voluntatem parentum, vel ſuam cogatur maritum accipere,ſi quis verò propoſitum caſtitatis viduæ, vel virginis impedierit, excommunicatur, reſpondetur Concilium Toletan. definire & ſtatuere, vt non cogatur virgo virum accipere,niſi quem ipſa elegerit,aut certè pater eius ipſa conſentiente. Verùm inde non ſequitur,vt ſi patre inſcio virum duxerit, irritum ſit coniugium. Quin & gloſ. ibid. expreſsè notat filiam nubere poſſe ſine conſenſu parentum.

30 Ad c. noſtrates.30. q. 5. vbi inter alios ritus nuptiarum ponitur,vt fiant de conſenſu parentum, reſpondetur,nihil inde ſequi. Nam ille canon recenſet varios nuptiarum ritus,in fine ſic concludit; peccatum autem eſſe ſi hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus. Ex quo intelligitur non omnes eſſe eſſentiales,neq; declarat ibidem qui ſint eſſentiales,qui verò accidentarij.

31 Ad c. De raptorib.36.q.1.&c. Apud.ead.cauſ.q.2.reſpondetur,aliud eſſe raptum,aliud coniugium inuito patre celebratum: Nam raptus ad eam pertinet,quæ nondum eſt propria vxor,neq; ſponſa. Qui enim violenter ſponſam ſuam patri eiusdem ſponſæ aufert, non dicitur

raptor,

raptor, quia rem ſuam, non alienam capit. cap. penult. de raptorib. c. lex illa. 36. q. 1. & ibi gloſ. & c. ſi quis virginem ead. cauſ. q 2. & ibi gloſ. & c. raptus. 27. q. 2. Vnde rectè Canones ſtatuunt raptam puellam, etiam ſi ipſa conſenſerit rapi, reddendam eſſe patri: Quia qui rapuit, iniuriam fecit patri, violenter eius filiam abducendo, licet iniuriam puellæ non fecerit.

Quamuis autem de iure ciuili inter raptã & raptorem matrimoniũ conſiſtere non poſſit, vt patet per textum. l. vnic. C. de raptu virg. Id tamen ius hodiè iure Canonico eſt correctum. Hoc namq; admittit matrimonium inter raptam & raptorem. cap. fin. de raptorib. Couar. lib. 4. decretal. de ſponſalib. part. 2. cap. 3. §. 9. n. 1. Damhaud. in pract. crim. cap. 95. Iul. Clar. receptar. ſentent. lib. 5. §. raptus. Quod vſq; adeò aliqui ex Theologis verum eſſe exiſtimant, vt dicant, non referre, etiam ſi raptor matrimonium contrahat, priuſquam reſtituat eam his, à quibus eandem rapuerat, ita poſt alios ſenſit. Ioan. Maior. lib. 4. ſent. diſt. 29. q. 2.

Verùm hæc opinio hodiè non procedit, cùm ſit abrogata per Concilium Trident. Statuit enim ſancta Synodus. ſeſs. 24. in decret. de reformat. matrim. cano. 6. inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi puella rapta extra raptoris poteſtatem conſtituta, & in loco tuto, libero conſenſu cum raptore coniugiũ contraheret, matrimonium eſſet ratum, nec poſſet à patre irritari, iuxtà decretum prædicti Concilij Trident. 32

Raptus enim eſt impedimentum impediens contrahendum coniugium, ſed non dirimens contractum, vt docent Theologi, & in ijs S. Thom. 22. q. 154. art. 7. 33

ad 3. vbi ostendit Concilium Meldense, quod contrarium statuerat, esse abrogatum. ita Bellar. d. cap. 20. in fin.

34 Ad argumentum ex iure diuino, nempè. Deuter. 7. & Hierem. 29. & 1. Corinth. 7. sumptum, respondetur, nos non negare, imò concedere & tenere, quod ad parētum curam & prouidentiam filiorum coniugia maximè pertineant, cùm vt plurimùm parentes sint prudentiores, neq; periculum sit, vt filijs malè consultum velint, cùm eos naturaliter diligant. Nam facilè pro pietate paterna consilium pro liberis capiunt, vt dicitur. in l. nec in ea. ff. de adult. cum nullus sit affectus, qui vincat paternum. l. fin. C. de curat. furiosi. Nec filius meliorem amicum invenire possit, quàm patrem, vt inquit. glos. in l. quidam. in verb. instituere. ff. de hæred. instit.

35 Ad secundum, quod ex cap. 22. Exodi. & c. 22. Deuteronomij adfertur ad probandum patriæ potestatis esse coniugium filiæ ratum vel irritum facere, respondetur, ibi non agi de matrimonio iam contracto, sed de futuro, causa stupri præcedentis. Non illa coniunctio viri cum puella, quæ inscio patre in duob. illis capitib. facta describitur, copula cōiugalis erat, sed stuprū, vt scriptura loquitur. Non enim stuprator vxorē habere voluit, sed libidinem tantū explere: quarè in pœnā iniungitur ei, vt puellā ducat vxorē, si eam pater dare voluerit. Itaq; nō est exemplum illud coniugij à patre irritati, sed tantū coniugij futuri, vel nō futuri pro arbitrio patris, à quo tamē non excluditur puellæ consensu. Sed qd futurū esset, si pari consensu vir & fœmina inscio patre matrimoniū contraxissent, scriptura non habet. ita respondet. Bellar. d. cap. 20.

36 Ad tertium argumentum allatum. ex lib. num. cap. 30. de irritatione votorum, respondetur, legem illam de

filia-

filiabus loqui, quæ nondũ pervenerunt ad annos pubertatis, quod ex eo patet, quod ſcriptura in eo capite bis repetit, patrem irritare poſſe vota puellæ, quæ in domo parentum habitat, & adhuc eſt in ætate puellari. Cui legi diuinæ ſimilis eſt lex canonica, quæ habetur. d. c. puella. 20. q. 2. in hæc verba: Puella ſi antè duodecimum ætatis annum ſponte ſua velamen ſibi ſacrũ aſſumpſerit, poſſunt ſtatim parentes, vel tutores id factum irritum facere, ſi voluerint. Si verò in fortiori ætate, adoleſcentula, vel adoleſcens ſeruire Deo elegerit, non eſt poteſtas parentibus prohibendi. Ratio autem legis tum diuinæ, tum Canonicæ eſt: Quia antè annos pubertatis non habent homines plenum iudicium rationis, ideoq; nec ſunt domini actuum ſuorum: At poſt annos pubertatis, ſui iuris efficiuntur, & de perſona ſua, & actibus, qui naturaliter liberi ſunt, pro arbitrio diſponere poſſunt. ita pulchrè Bellar. d. cap. 20.

Ad vltimum argumentum, quod eſt de medijs, per quæ Deus coniungit homines in matrimonium, reſpondetur. Ad hoc, vt matrimonium ſit verum & ratum, non requiri alia media, præter coniugum liberum conſenſum. Vt enim alia Sacramenta Deus per miniſtrum diſpenſat: Sic etiam matrimonium: Miniſter autem matrimonij eſt, vterq; coniunx. Vt autem coniugium Deo ſit gratum, & ipſis coniugibus vtile, media à Deo inſtituta ſunt, parentum & amicorum conſilia, matura deliberatio, ſacerdotis benedictio, & alia id genus: quæ qui ſpernit, non poteſt certò pronunciare ſuum coniugium Deo placere, aut ſibi vtile futurum; licet eodem tempore poſſit non ambigere, quin ſit verum & firmum, atque à Deo certiſſimè inſtitutum. Ita eleganter reſpondet. 37

Robert. Bellarm. sæpè d. cap. 20. lib. 1. de matrim. sacramen. Tom. 2. 5. controuers. general. Et tantùm de hac quæstione.

## Ex Capite Octauo summarium.

1 *Liberi sine consensu parentum matrimonium cõtrahentes, an ab ijs exhæredari possint.*
2 *Argumenta pro quæstionis parte negatiua. & nu. 3. & 4.*
5 *Ad hanc quæstionem sub distinctione responsio, eiusq; probatio. & num. 6.*
7 *Statutum Friburgense.*
8 *Dilutio breuis argumentorum pro parte negatiua allatorum.*
9 *Causa matrimonialis criminali comparatur.*
10 *Ideò plenam, vt in criminali requirit probationem & num. 13.*
11 *In causis criminalibus non defertur iuramentum suppletorium.*
12 *Similiter nec in causa matrimoniali.*
13 *Testes in causa matrimoniali debent esse omni exceptione maiores. & qui testis dicatur omni exceptione maior ibid.*
14 *Fœminæ in causa matrimonij testes esse possunt.*
15 *Item parentes.*
16 *An aliquid sit plenè probatũ arbitrio Iudicis relinquitur.*
17 *Iuramentum suppletorium pro matrimonio quandò deferri possit.*
18 *Iuramentum voluntariũ in causa matrimonij an à parte parti deferri possit. & num. 22.*
19 *Partium consensu matrimonium dissolui nequit.*

## CAPVT OCTAVVM.

SEQVITVR nunc, vt respondeamus quintæ quæstioni, quæ est. An liberi sine consensu 1 parentum matrimonium contrahentes saltem ab ijs exhæredari possint? Didacus Couarruuias magnus ille & subtilissimus iuris interpres. lib. 4. decretal. de sponsalib. 2. part. cap. 3. §. 8. num. 5. existimat filiam matrimonium contrahentem sine licentia patris non posse iure à patre exhæredari.

Primò: Quia id facit iure permittente, ideoq; pœ- 2 nam non mæretur.

Deinde: Quia hic contractus naturâ suâ summam 3 requirit libertatem, quæ pœna constringi nõ debet, idq; vsq; adeò verum arbitratur, vt neget statutum fieri posse, quo filius alimentis, vel legitimâ priuetur, si sine patris consensu coniugium contraxerit Vnd. censet. l. 3. §. si 4 emancipatus. ff. de bonor. poss. contrà tab. qua sancitum est, posse patrem exhæredare filium si ignominiosam vxorem duxisset absq; eius cõsensu, iure Pontificio hodie

esse sublatam, ea ratione, quod Principes laici nihil possint statuere, quod matrimonij liberum consensum, quē à iure habet, impediat.

Verùm ab hac Cauar. viri alioqui doctissimi & summæ apud omnes authoritatis Iuris consulti opinione discessit colendiss. meus Præceptor, Nobilis & Clariss. I. V. Doct. Fridericus Martini, primarius & acutissimus in Friburgensi Academia Canonum Professor. in repetit cap. fin. de iud. lib. 6. motus diuersæ sentētiæ æquitate, quam sub temperamento iustissimam censuit, cui & ego subscribo, qui distingit.

Aut enim filius ducit honestam virginem, licet in-
5 opem, & hoc casu non potest pater filium exhæredare, aut propter nuptias donationem denegare. Aut verò filia nubit humili, infami, turpi, & tunc potest filiam exhæredare, & dotem denegare pater. Idē sentit & hanc distinctionem probat. Andr. Gail. lib. 2. obser. 95.

6 Probatur hæc distinctio authoritate Caroli V. in constitutione imperij, facta Augustæ Anno 1548. cuius suprá cap. 7. num. 12. meminimus. Titulo **vom Sacrament der Ehe. §. Darumb dieweil.** Probatur quoq; authoritate. glos. in c. de raptoribus. 36. q. 1. & glos. in Authen. Sed si post. C. de inoffic. testam.

7 Exstat sub hoc moderamine Friburgi in Brisgoia statutum. tit. 5. de testament. fol. 77. Rubrica. **Ob ein Tochter soll ein Ehemann nemen.**

Nec obstat Couar. consideratio. Neque enim huiusmodi statutum pœnale aut tollit, aut impedit libertatem matrimonij, sicut nec quartum præceptum Decalogi, quod sub peccato mortali filium obligat ad requirendum patris consensum in vxore ducenda, vt tradit Martin.

Martin.ab Alzpilc.Nauar. in Enchirid.confeſſar.cap.14. de quarto præcepto.num. 15. ita doctè & pulchrè Frideric. Martini. in repet.d. cap. fin. de iudic. lib. 6.

9 His libet & illud addere,quod cauſa matrimonialis grauis & ardua ſit,& ideò criminali æquiparetur,vt communiter tenent. Dd.in hac enim agitur de vitæ ſtatu,qui ſpeciem ſeruitutis continet.gloſ. in cap. mulieri. de iureiur. cùm vir non habeat poteſtatem corporis ſui,ſed mulier,neq; mulier habeat poteſtatem corporis ſui, ſed vir ſecundùm Apoſtolum. 1. Corinth. 7. text. etiam in cap. non debet.de conſanguin. & affinit.

10 Vnde ſicut in cauſa criminali, ita quoq; in cauſa matrimoniali probationes luce meridiana clariores requiruntur,iuxta l. fin C de probat. Quod maximè procedit, ſi ad diſſoluendum matrimonium agatur. text. in cap. in literis.de teſtib.gloſ. ibid. in verb. probatæ,& probatio facta per famam cum vno teſte non ſufficit, ſicut nec in criminali cauſa,licet regulariter in cauſa ciuili ſecus ſit. gloſ. bona in cap. veniens. el. 1. in verb. illorum. de teſtib. gloſ. in d. cap. mulieri. in verb. abſoluto.

11 Ex quo infertur,quod ſicut in cauſis criminalibus regulariter non defertur iuramentum ſuppletorium in defectum probationis. vt not. Bart. in l.maritus.num.4. ff.de quæſt.& in l admonendi. nu. 52. ff. de iureiur. Abb. latè in cap. fin. nu. 12. cum ſeq.de iureiur.

12 Ita quoq; in cauſa matrimoniali hoc iuramentum locum non habet: Quia agitur de quaſi ſtatu hominis. gloſ. in d. cap. mulieri. Dec. conſil. 133. num. 2. in fin.& conſil.699.Andr.Gail.practicar.obſer.lib.2.obſer.94.n. 1.2.3.4. Ad probandum autem matrimoniũ debent eſſe probationes luce meridiana clariores, vti ſuprà dictũ eſt.

Vnde

13 Vnde in illo requiruntur testes omni exceptione maiores. cap. 1. de consang. & affinit. vbi Bernard. scribit, eum testem dici omni exceptione maiorem, qui nullâ exceptione repelli potest. Idem gloss. in cap. At si clerici. in princip. de iudic. & in cap. 1. de testib. & in §. item verborum. Instit. de invtilibus. stipulat. Couar. lib. 4. decretal. 2. part. cap. 8. §. 12. num. 7. vbi num. 8. dicit, arbitrio iudicis esse relinquendum, qui testes dicantur omni exceptione maiores.

14 Constat tamen etiam fœminas in causa matrimonij testes esse posse. cap. super eo. el. 2. de testib. & ibi Abb. quod etiam obtinet etsi tractetur de matrimonio separando.

15 Imò & parentes fauore matrimonij, in causa matrimonij admittuntur. d. cap. super eo. vbi Abb. Imol. Henric. & Felin. text. etiam ad hoc est. in c. videtur. 35. q. 6. Est tamen hoc secundum. d. cap. super eo & ibid. gloss. intelligendum, quandò æqualitas est inter eos, quorũ de matrimonio agitur. Nam si alter coniugum diuitijs, honore, nobilitate & potentiâ superior esset, testimonium illius, qui parens esset inferioris adeò suspectum redditur vt illud nullo modo sit admittendum. Cùm parentes filiorum incrementum & honorem affectare constet.

16 An autem aliquid sit plenè probatum nec ne arbitrio iudicis est committendum. per text. in l. 3. §. 1. ff. de iureiur. Gail. d. obseruat. num. 11. Quod dictum est, iuramentum necessarium in causa matrimoniali non esse deferendum, hoc maximè secundum omnes. Dd. locum habet, si iuramentum hoc petitum esset à iudice contrà matrimoniũ, vt si quis iurare paratus sit, matrimonium non esse contractum: tunc enim nullo modo offerenti deferen-

deferendum est.cap. lator. de sent. & re iud. glos.ibid. in verb. permanere. Hæc tamen, quæ de iuramento suppletorio dicuntur, limitantur, vt quandò Actor semiplenè probasset matrimonium, & pro eo in supplementum probationis iurare paratus sit, Actori petenti iuramentũ necessarium, Iudex illud ei deferre possit, si Actor esset homo bonæ vitæ, & integræ famæ, diues & nobilis, & peteteret in vxorem puellam pauperem, vel siue dignitate & conditione inferiorem, vel saltem æqualem. not. Abb. in d.cap. mulieri.nu.6. Alexand. in d.l.3. nu.16. Zas. consil. 9.nu.37.vol.1.incip.tametsi in negotio. Ias. in d.l. admonendi.nu.231.per text.in cap.fin.§. fin. de iureiur. glos. ibid. verb.probatione. Gail.d.obseruat. num.12. 17

Eadem distinctio obseruanda est in iuramento voluntario, quod in causa matrimoniali à parte parti defertur: Nam si tale iuramentum ab altervtra partium cõtrà matrimonium de latum sit, non valet. 18

Ratio est: Quia non est in potestate partium, matrimonium semel contractum dissoluere. glos. in d.l.3.§. quacunq; in verb. agatur. Bart. & reliqui ibid. ff. de iureiur. Quos enim Deus coniuxit homo non separet. cap. quos Deus. 33. q.2 cum similib. 19

Vnde infertur, quod ttansactio contra matrimonium non valeat. text. in cap. fin. & ibi glos. & Dd. in verb. sacramentũ. de transact. Ratio præterea huius est: Quod iuramentum & transactio æquiparẽtur. l.2.ff. de iureiur. Sed iuramento matrimonium contractum dissolui non potest, vti paulò antè dictum est: Ergò nec transactione. 20

Secundò infertur, quod nec compromissum cõtra matrimonium validum sit.cap.penult.§.fin.de in integ. restit. 21

22 Verum tamen si iuramentum á parte parti pro matrimonio deferatur, vt si puella, vel mulier dicat, volo esse vxor tua, si iuraueris me tibi nupsisse, vel te me duxisse, valet iuramentum, quasi de nouo contrahatur matrimonium, propter consensum conditionalem, quæ 23 conditio, tanquam honesta, non impedit matrimonium contrahi. tot. tit. de condit. apposit. Bart. Alexand. & Salicet. in d. l. 3. facit text. in l. qui iurasse. §. fin. & in l. si quis cum debitore. ff. de iureiur.

Similiter transactio & compositio pro matrimo-24 nio valida est, vt sponsa petita, maneat sponsa, licet anteà non fuerit sponsa: Quia ex nouo isto transactionis consensu iam sponsa erit, ita communiter tenetur, in d. cap. fin. de transact.

25 Ita etiam compromissum pro matrimonio validũ est. Quod hac ratione probari potest: Quia compromissum in arbitratorem factum transactioni comparatur. glos. in Auth. vt different. iudic. in princip. Bart. in l. si societatem. §. arbitrorum. ff. pro socio. colum. 2. Abb. in cap. Quintavallis. de iureiur. Couar. d. §. 12. numer. 2. Sed transactio super matrimonio fieri potest, quandò non tendit ad dissolutionem, quia tunc cessat ratio prohibitiua, vt tenent communiter. Dd. in d. cap. fin. Ergò etiam fieri potest compromissum pro matrimonio.

26 Hæc distinctio etiam tenenda est in matrimonio spirituali, nempè Monachismo, seu religionis ingressu, vt iuramentum pro, non contrà Monachismum valeat. not. glos. Bart. & Dd. in d. l. 3. §. quacunque. Validum enim est argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, adeoque à pari procedunt.

text.

text. in cap. ſicut vir. 7. q. 1. Andr. Gail. d. obſeruat. numer. 16.

Et quamuis aliâs per manus tradatur in iudicando à communi opinione non eſſe recedendum. per text. in c. nouimus. de verb. ſignif. & in l. vnic. ff. de offic. quæſt. ibi & ſanè crebrior. & text. in l. athletas. ff. de his qui not. infam. Attamen hoc non procedit in cauſa matrimo- 28 nij, in qua opinio vnius Doctoris Claſſici pro matrimonio prævalet communi opinioni, quæ eſt contrà matrimonium. ita tenet. Felin. ad Rubric. de ſponſalib. num. 6. vbi 24. priuilegia matrimonij enumerat. refert & ſequitur. Gail. d. obſeruat. num. 18. & 19.

## Ex Capite Nono ſummarium.

1 *Conſanguinitatis definitio duplex.*
2 *Conſanguinei vnde dicũtur, & ibi, de proximis, cognatis & agnatis.*
3 *Cognatio aliquandò nomen generis, aliquandò ſpeciei.*
4 *Ius Canonicum tum cognationem, tum agnationem conſanguinitatem appellat.*
5 *Affinitatis definitio.*
6 *Affinitas vnde dicatur.*
7 *Affinitas ex coitu etiam illicito oritur.*
8 *Affinitas an contrahatur inter virum & vxorem.*
9 *Propinquitas viri reputatur propinquitas vxoris.*
10 *Inter conſanguineos vxoris & viri nulla contrahitur affinitas.*
11 *Linea cognationis quid ſit.*
12 *Gradus in cognatione quid ſit.*
13 *Graduum ex regulis computatio.*

## CAPVT NONVM.

SEXTO loco tractandum erit de consanguinitate & affinitate, de qua, vt agatur, ansam dedit sexta quæstio principalis suprà in fine. cap. 4. proposita. Vtrum nimirum matrimonium in gradib. consanguinitatis vel affinitatis contractum validum sit nec ne. Ad cuius quæstionis decisionem antequam progrediamur, aliqua per modum præuiæ inspectionis sunt præmittenda. Primò quid sit consanguinitas. Secundò, quid affinitas. Tertiò, quid linea. Quartò, quid gradus. Quintò, ponendæ sunt regulæ ad gradum computationem necessariæ.

Est

Eſt autem conſanguinitas ſeu cognatio carnalis propinquitas duarum perſonarum, quod vna ex altera, vel ambæ ex eadem deſcendant. gloſ. recepta in arbore conſanguinit. Vel authore. Couar. ſtatim citando, conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite propinquo deſcendentium, vel quarum vna deſcendit ab alia, carnali propagatione contractum. Dicitur ab eodem ſtipite propinquo, ideò quod deſcendentes ab eodem ſtipite remoto tamen, non ſint conſanguinei, alioqui omnes homines conſanguinei forent, cùm ab Adamo deſcendant. 1

Etenim virtus naturalis, quæ in procreatione viget, quatenus mouet ad ſimilitudinem ipſius procreantis in indiuiduo, nempè vt filius ſit ſimilis patri, per varias trāſfuſiones fit debilior, ac tandem deficit, etiam ſi ipſa eadem virtus, vt mouet ad id, quod eſt in ſpecie, id eſt, vt ab homine genitus ſit homo, non poteſt deficere per varias transfuſiones, ita eleganter S. Thom. in 4. ſent. diſt. 40. art. 1. quem refert & ſequitur. Couar. 4 decretal. 2. part. cap. 6. §. 6. nu. 1. Dicitur deinde in definitione, quarum vna deſcendit ab alia, ne maxima patris & filiorum coniunctio excludatur. Carnalis præterea propagatio exigitur, vt excludatur Eua à conſanguinitate Adami.

Hinc conſanguinei propinqui dicuntur, quod ex eodem propinquo ſanguine fuerint geniti. l. Lucius. ff. de petit. hæred. l. cùm pater. §. à te peto. ff. de legat. 2. Dicuntur etiam proximi. l. capitis. & l. ſi ſpurius. ff. vnde cognati. l. dudum. C. de contrah. empt. vbi gloſ. & Bald. l. cùm rem alienam. C. de legat. Conſanguinei propriè dicuntur fratres ex eodem patre nati. l. 2. §. agnati & l. 1. §. conſanguineos. ff. de ſuis. & legit. hæredib. §. cæterum 2

 inſtit.

instit.de legit.agnat.succeß.& §. sunt autem.eod. tit. Ex eadem verò matre nati propriè vterini fratres dicuntur. Auth. de consang. & vteri. fratri. collat. 6. Cæteri tamen remotiores etiam consanguinei dicuntur, quod eodem sanguine sint geniti, teste Cicerone lib. 2. ad Atticum: Sed Boopides noster consanguineus non mediocres terrores iacit. & eodem Cic. lib. 1. de inventione. Parentes,liberi,coniuges, & consanguinei. & Tacito lib. 3. Cum super Agrippinam,& Drusum,& Claudium, cæteri quoq; consanguinei nominatim perscripti sint. Couar.d.loco.num. 2. Cognati appellantur,quasi quod vna communitervè nati, vel ab eodem orti progenitivè sint. l. non facilè. §. 1.l. Iurisconsultus.§.cognationis nomen.ff.de gradib.affinit: Est enim & cognatio nomen, ad natos ex fœminis & procreatos à maribus naturali iure generale. Ius tamen ciuile distinguit inter cognationem &agnationem,cognatos enim vocat,qui ex eodem sanguine per matrem descendunt,agnatos qui per patrē, vt patet ex tit.de legit.agnat.tut.instit.in prin.& d. l. non facilè. §. 1. & d. l. Iurisconsultus. vers. cognati. tametsi cognatos etiam interdum consanguineos appellet.

3 Vnde cognatio aliquandò obtinet nomen generis aliquandò nomen speciei: Agnatio verò semper est nomen speciei. Qui enim agnati sunt, cognati etiam dici possunt,non contrà. l. inter agnatos.ff. vnde legitimi & d. l. non facilè. & d. l. Iurisconsultus. ff. de gradibus. affinit.

4 Verùm ius Canonicum tùm cognationem, tùm agnationem simpliciter consanguinitatem appellat, vt patet ex tit. de consanguinitate & affinit. Est enim nomen consanguinitatis commune descendentibus à fœminis,

minis,& à maribus. l. 2. ff. vnde cognati. l. vel si sanguine. ff. de manumis. vindict.

5 Affinitas verò est propinquitas duarum personarũ, quarum vna cum sanguinea alterius copulam habuit. glos. recepta in arbore affinit.

6 Vnde affines propriè dicuntur viri & vxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diuersæ sunt, per nuptias copulentur, & altera ad alterius cognationis finem accedat d. l. non facilè. §. affines.

7 Et hæc affinitas non tàm ex copulâ licitâ, siue matrimoniali, quàm ex illicitâ, siue formicariâ contrahitur. cap. discretionem. vbi glos. Abb. & Henric. de eo qui cogno. consang. vxor. suæ. glos. in arbore affinit. text. etiam in cap. in literis. secundum Abb. & Aret. ibi. de testibus. & in cap. 2. de consangui. & affinit. cap. nec eam. 35. q. 3. S. Thom. in 4. sent. dist. 41. Et hæc est communis opinio, vt asserit Syluest. in verb. matrimonium. 8. impedimento. 15. quam etiam sequitur. Couar. 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 7. num. 3.

8 Et quia affinitas inter consanguineos mulieris & virum, & consanguineos viri & mulierem contrahitur, intelligitur inter virum & vxorem affinitatem non contrahi, sed eos esse causam affinitatis. ita glos. in arb. affinit. & in l. affinitatis. C. communia de success. glos. in §. affinitatis instit. de nupt. Abb. & alij in cap. quod super his, de consanguinit. & affinit. Bald. in l. 1. C. Vnde vir & vxor. S. Thom. d. dist. 41. Couar. d. loco. numer. 6. vers. secundo hîc notandum.

9 Hinc propinquitas viri reputatur vxoris, & propinquitas vxoris, reputatur viri. cap. 1. de consangui. & affinit. & c. æqualiter cum c. seq. 35. q. 2. Cuius est ratio: Quia si

secun-

ſecundum diuinam ſententiam, Ego & vxor mea, vna caro ſumus, profectò mihi & illi, mea ſuaque cognitio vna propinquitas efficiuntur. Quamobrem ego & vxoris meæ ſoror, in vno & primo erimus gradu, filius verò eius in ſecundo gradu à me erit, nepos tertio, & ſic deinceps. Vxor autem cuiusq;, eius gradus eſt reputanda, cuius eſt maritus.

10 Et quamuis omnes conſanguinei viri, vxoris ſint affines, & vice verſa: Attamen inter conſanguineos vxoris & viri nnlla contrahitur affinitas, propter quam inter eos matrimonium impediatur. Vnde pater & filius cum matre & filia, & duo cognati cum duobus cognatis, auũculus & nepos cum duabus ſororibus poſſunt licitè contrahere matrimonium. ca. quod ſuper. de conſangui. & affinit.

Cognita conſanguinitatis definitione, ſupereſt eius gradus & diſcrimina inveſtigare; Cùm autem ea ex lineis gradibusq; conſtet, quid linea ſit cognoſcere neceſſe eſt.

11 Eſt ergò linea, collectio perſonarum, quæ iure ſanguinis propinquæ cenſentur, gradus continens, numerosq; diſtinguens, ita ex Palud. in 4. ſent. diſt. 4. Couar. d.§. 6. numer. 4. Et linea apud Iuriſconſultos ſeriem & ordinem cognationis ſignificat. d. l. Iuriſconſultus. §. ſunt & ex lateribus ff. de gradib. affinit.

12 Gradus verò diicitur habitudo, id eſt menſura diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur, quota agnationis, vel cognationis diſtantia duæ pluresvè perſonę differant. ita d. gloſ. in arbore conſanguinit.

Gradus autem dicti ſunt ad ſimilitudinem ſcalarũ, locorumvè procliuium, quos ita ingredimur, vt à proximo in

mo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus. d. l. Iuriſconſultus. §. gradus autem. Sed vt hæc graduum computatio intelligatur, regulas quaſdam prænotare oportet, quarum prima ſit.

Iure ciuili & canonico in aſcendentium & deſcendentium linea, quot ſunt perſonæ, vnâ demptâ, tot ſunt gradus. Filius ergò primo gradu patri coniungitur, ac nepos auo, ſecundo, pronepos proauo, tertio, abnepos abauo, quarto gradu. 13

Secunda regula. In linea tranſverſa æquali, id eſt, quandò vterq; diſtat eodem gradu à ſtipite, quoto gradu alter diſtat à communi ſtipite, toto diſtant inter ſe, & ſibi attinent.

Tertia in linea tranſverſalium ſeu collateralium inæquali, id eſt, quandò alter diſtat à communi ſtipite, gradu remotiori, quàm alter, quo gradu remotior diſtat à communi ſtipite, eodem diſtant inter ſe, ita Canoniſtæ communiter. & Couar. d. §. 6. num. 7. Iure autem ciuili vnica conſtitui poteſt regula pro omnibus lineis. Quot ſunt perſonæ, vna dempta, tot ſunt gradus.

Ex quibus apparet inter ius ciuile & canonicum in hac graduum computatione differentiam eſſe, cuius rationem aſſignat. text. in c. 2. 35. q. 5. Canones enim quoad matrimonium gradus diſtinguunt, quod quidem matrimonium inter duas perſonas contrahitur, & ideò in tranſverſalibus, ex duob. vnicum gradum conſtituit ius Canonicum. At ius ciuile, quoad ſucceſſionem, quæ ab vno in aliũ defertur, conſanguinitatis iura & gradus diffiniuit. Quo fit, vt promiſcuè vtroq; in foro quoad coniugia Canonum computatio probanda ſit. ita gloſ. in arbore conſanguinit. & gloſ. in §. hactenus, inſtit. de gradib. 14

cognat.& Couar. d. §. 6. nu. 8. vbi ſubiungit in hæredi-
tatibus & ſucceſſionibus vtroq; foro, legalem computa-
tionem eſſe advertendam & obſeruandam: In alijs au-
tem contractibus, artibusq; cæteris ſimilibus, quamlibet
computationem in proprio foro eſſe ſeruandam, ex Io-
an. Andr. in additionibus. ad Speculat. tit. de ſucceſs. ab
inteſt. §. 1. in fin. magnæ additionis. Cæterùm, ratio-
nem canonicam ſupputandi gradus, optimam eſſe, con-
tra Theodorum Bezam egregiè defendit. Robert. Bel-
larmin. lib. 1. de matrim. ſacram. cap. 36. Tom. 2. quint.
controverſ. gener. quem lector legere poterit.

Vt ergo propoſitæ, in principio huius capitis, quæ-
15 ſtioni reſpondeamus, dicimus matrimonium inter quar-
tum gradum conſanguinitatis vel affinitatis cōtrahi nec
poſſe, nec contractum valere. cap. 1. & cap. non debet. de
conſang. & affinit. Eſt enim conſanguinitas & affinitas
intrà quartum gradum impedimentum impediens ma-
trimonium contrahendum, & dirimens contractum. d.
cap. 1. & d. cap. non debet. quod etiam ex vulgaribus &
tritis illis verſibus, quos Ioan. Andr. in ſummula ſuper
quarto decretal. ponit, colligitur.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,*
*Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,*
*Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.*

Hæc tamen impedimenta his verſib. recenſita, non
dicuntur impedimenta dirimere contractum matrimo
nium, quaſi matrimonium verum dirimant, ſed quia
matrimonium de facto, non de iure contractum, irri-
tum reddunt, verum enim matrimonium dirimi ne-
quit.

Verùm

Verùm Concilium Tridentinum. ſeſs. 24. in decret. de reformat. matrim. c. 4. reſtrinxit impedimentũ affinitatis ex illicita copula natum, ad primum & ſecundum gradum tantùm, ſtatuens in vlterioribus, gradibus, matrimonium, ea habita, contractum non dirimi. 16

Sed quia Concilium prædictum non definit illud affinitatis impedimentum nõ impedire, ſed ſolùm non dirimere, obijcere quis poteſt ac dicere, quod licet matrimonium contractum per affines copulâ illicitâ tertij & quarti gradus valeat, peccare tamen contrahentes absq; diſpenſatione, cùm à lege veteri non diſcedamus, niſi quatenus per nouam exprimitur. l. præcipimus. in fin. C. de appellat. 17

Cui obiectioni reſpondet Martin. Nauar. in Enchirid. confeſſar. cap. 22. numer. 43. Pium V. Pontificem Maximum, motu proprio ſuper ea re edito, contrarium declaraſſe in Extrauag. Ad Romanum lata. Anno 1566. ſcilicet, dictam affinitatem nec dirimere, nec impedire. 18

Quod dicitur affinitatem dirimere matrimonium, id intelligendum eſt de affinitate matrimonium præcedenti: Nam ſubſequens affinitas matrimonium non diſſoluit. cap. 1. cap. 2. cap. diſcretionem. & cap. penult. de eo qui cogn. conſang. vx. ſuæ. 19

Quod adeò verum eſt, vt matrimonium nec propter confeſſionem vnius, vel vtriusq; coniugis aſſerentis affinitatem inter ipſos præceſſiſſe dirimatur, etſi rumor viciniæ ipſis ſuffragetur. cap. de illo. & cap. ſuper eo. de eo qui cogno. conſang. Ratio eſt: Quia matrimonium habet dependentiam non ab homine, ſed ab ipſo Deo

recepit indissolubilitatem. cap. quos Deus. 33. q. 2. & c. 1. 35. q. 10.

20 Affinitas autem tantùm impedit matrimonium hodiè in primo genere, & intra quartum gradum. d. cap. non debet. de consang. & affinit. Vnde infertur, posse quem in vxorem ducere relictam à propriæ vxoris fratre.

Secundo infertur, posse hodiè quemquam diuersis temporibus duas, vel plures fœminas, in vxores accipere, quæ tamen cum duobus vel pluribus fratribus matrimonium contraxerunt. Cardin. in d. cap. non debet, refert & sequitur. Couar. d. §. 7. num. 6. Vbi subinfert, legem municipalem, qua sanciri solet, compromittendas fore omnes lites, quæ inter affines oriantur, non habere locũ in affinibus secundi generis, cùm hoc genus hodiè nullum effectum amplius habeat. ex Ias. in l. quod Seruius. 2. col. ff. de condict. caus. dat. & in l. qui se patris. nu. 59. C. vnde liber. Verum statutum seu legem municipalem de controversijs affinium compromittendis in viro & vxore locum habere notat ex eodem. Iason. in d. l. quod Seruius. col. 2. cuius opinionem communem dicit.

Licet enim vir & vxor affines non sint, ex eis tamen producitur hoc affinitatis vinculum. Vnde lex municipalis mentionem faciens de affinibus, in viro & vxore videtur maximè locum habere. In sponsis tamen antè consensum de præsenti non putat. Couar. ita facilè hoc recipiendum esse.

Illud hoc loco animaduertendum est, quod quoties aliqui propter consanguinitatem separandi sint, vt 21 consanguinitas duobus vel tribus eiusdem consanguinitatis testibus adhibitis, vel totidem senioribus & melioribus eiusdem loci legitimè comprobetur. cap. quotiens. de

de teſtib.& cap. videtur,qui matrim. accuſ. poſs. & c. 1. 2, & 3. 35. q. 9. Eſt enim ſeparatio matrimonij res grauiſſima. cap. licet ex quadam. in fin. & ibi gloſ. de teſtibus. Ideò autem conſanguinei in teſtes ad dirimendum matrimonium recipiuntur: Quia,vt inquit text.in d.cap.videtur.& in d.c.2. 35. q. 6. vnusquisq; ſuam genealogiam, cum teſtibus & chartis,cum exercitatione & recitatione maiorum ſcire laborat: quia igitur alijs melius ſciunt, ideò maximè admittuntur.

Teſtium autem examinatio in hac cauſa interventu iuramenti,duos articulos continentis, fieri debet. Vt nempè iurent & ſe non priuato odio, neque amicitia, neque alicuius proprij commodi intuitu, ad hoc iurandum inductos;& ſicut ipſi dicunt, rei veritatem à maioribus accepiſſe, & ſe credere ita eſſe. d. cap. quotiens.& d. cap. licet ex quadam.& d. c. 3. 35. q. 6.

22 Quo iuramento præſtito, & impedimento matrimonij legitimè probato, & publicatis atteſtationibus, alij teſtes, ſuper defectu impedimenti, admittendi non ſunt, ſed ſtandum erit priori probationi.cap.iurauit. de probat. Verùm huic obſtare videtur.cap. ſeries.de teſtibus. vbi publicatis atteſtationibus recipiuntur teſtes ad reprobandum conſanguinitatis impedimentum.

Sed reſpondetur.d.cap.ſeries.loqui de impedimento probato ad ſeparandum matrimonium iàm contractum,nam tunc in fauorem matrimonij etiam pòſt publicationem admittuntur teſtes ad probandum contrarium,ob maximum periculũ,quod eſt in ſeparando matrimonio legitimè contracto. d. cap.licet ex quadam. in fin. Allegatum verò cap. iurauit. loquitur de probato impedimento circa ſponſalia de futuro, quo caſu nullũ

ſubeſt periculum,ſi non contrahant: Quarè ſeruire debet regula ordinaria de non examinando poſt publicationem.ita gloſ. in d. cap. iurauit. & d. cap. ſeries. Aliter reſpondet Abb. in d. cap. iurauit. vbi deducit eandem interdum rationem eſſe in ſponſalibus,quæ eſt in matrimonio. Inquit enim,quod vbicunq; in cauſa matrimoniali,ſiue agatur occaſione ſponſalium,ſiue matrimonij, ſententia tranſit in rem iudicatam, ibi obſtabit publicatio atteſtationum. Si verò talis ſententia non tranſit in rem iudicatam, tunc nec publicatio atteſtationum impediet nouas probationes.

23 Sed quandò eſt,quod ſententia in cauſa matrimoniali tranſit in rem iudicatam? Reſpondetur, vbicunq; vitium ſententię eſt per partes,contrà quas fertur,remiſſibile: Vbicunq; verò tale vitium non eſt per partes remiſſibile,tunc non tranſit. Id autem accidit, vbicunq; veritate non manifeſta imminet peccatum. Hoc igitur caſu nunquam afficit publicatio,nec habebit locũ, quod hîc dicitur.& in d. cad. iurauit. Vbi Abb. clarè exemplificat omnia ſupradicta. In caſibus tamen in quib. non obſtabit huiusmodi publicatio examini faciendo ſuper ijſdem vel directò contrarijs, non debet Index admittere nouas probationes,niſi cũ aliqua cauſæ cognitione. Ad euitandã igitur teſtiũ ſubornationem examinabit,quare prius nõ produxit teſtes,quos intendit nunc producere, & quales ſint;& ſi viderit legitimam cauſam,admittet,& nõ aliâs,& ita etiã accidit.in d. cap. ſeries, vbi ſuberat legitima cauſa procedendi de nouo.ita Abb. in d. c. iurauit.

Super eſt hoc loco rationes annectere, cur matrimonia inter conſanguineos & affines intrá quartum gradum prohibita ſint.

Eſt igitur ratio prima, reuerentia & honor debitus conſanguineis & affinib. Nam ipſa docet natura, parentib. & conſequenter alijs conſanguineis & affinib. peculiarem verecundiã, reuerentiam & obſeruantiã deberi. 24

Sed huic reuerentiæ iure naturali parentibus debitæ ſummè repugnat cõiugalis actus, qui ſine turpitudine & irreuerentia exerceri non poteſt. S. Thom. 22. q. 154. Vnde Leuitici 18. cùm prohibetur coniugium cum matre, cauſa redditur: Quia mater tua eſt. & cùm prohibetur coniugium cum nuru, dicitur: Quia vxor filij tui eſt. De qua re ſic loquitur. S. Auguſtinus. lib. 15. de Ciuit. cap. 16. Neſcio quomodò ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale atq; laudabile, vt cui debet cauſa propinquitatis verecundiam, ab ea contineat, quamuis generaticem, tamẽ libidinem, de qua erubeſcere videmus, & ipſam pudicitiam coniugalem. Hæc autem ratio eouſq; valet, quouſq; habetur notitia cognationis: Solent autem homines ordinariè vſq; ad quartam generationẽ ſe cognatos agnoſcere, deinceps autem vix vlli ſunt, qui ſe pro cognatis habeant. ita poſt S. Thom. d. loco Bellar. d. lib. 1 de matrim. ſacram. cap. 29.

Secunda ratio eſt conſuetudo, & familiaritas, quæ inter conſanguineos & affines eſſe debet. Nam parentes & filij, fratres & ſorores, aui & nepotes, nouerca & priuigni in eadem domo habitant, & aſſiduè noctu & interdiu ſimul verſantur: cæteri etiam propinqui crebrò & fidenter propinquos adeunt, & cum illis manent. Vt autem iſta intima conſuetudo innoxia eſſet, oportuit omninò inter eiuſmodi perſonas coniugia interdicere, alioqui enim tria mala ex iſta aſſidua conuerſatione naſcerentur. 25

Vnum

Vnum quod nimis facilè, & nimis etiam citò, ac temerè matrimonia conciliarentur. Deinde maxima præberetur inceſtibus occaſio, facilius enim peccata cõmittuntur cum eis, cum quibus ius eſt matrimonij contrahendi, quàm cum alijs. Deniq; eſſent omnia plena malis ſuſpicionibus, & affabilitas, blanditiæq; & oſcula, quæ nunc inter propinquos pietatis ſunt, tunc libidinis eſſe non temerè crederentur. ita elegãter. poſt S. Thom. citato loco. Bellarm. d. cap. 29.

26 Tertia ratio huius prohibitionis deducitur à ſtudio charitatis inter extraneos dilatandæ. Nam per matrimonia coniunguntur & colligantur homines vinculo neceſſitudinis. Oportet ergò coniugia inter eos contrahi, qui à ſanguinis vinculo ſunt remoti, quo inter eos coëat amicitia, hanc rationem, & alias adducit Plutarch. in problematib. Roman. nu. 108. & D. Auguſtin. d. lib. 15. de ciuit. cap. 16. & Gratian. in c. 1. 35. q. 1. Quod ſi inter propinquos matrimonia contrahantur, perit hic fructus ampliſſimus propagandæ neceſſitudinis: Nam ad vnam perſonam multa vincula inutiliter reſtringuntur, quæ in multas vtiliſſimè ſpargi potuiſſet.

Si enim frater exempli gratia ſororem ducat: idem erit frater & maritus reſpectu vxoris: & idem erit filius & gener reſpectu patris: & ille ſimul erit pater & ſocer reſpectu filij. Itaq; duo vincula dilectionis reducuntur ad vnum, quæ duos vnire potuiſſent. Ita poſt S. Auguſtin. d. loco. & S. Ambroſ. Epiſt. 66. ad Paternum. & S. Thom. citato loco. Bellarm. d. cap. 29.

27 Quarta ratio ſumitur ab vſu moderato officij coniugalis. Cùm enim naturaliter conſanguinei diligantur, ſi adderetur etiam amor coniugalis, creſceret plus debito

carna-

carnalis amor. Hanc rationem prædicti Doctores ex Arist. lib. 2. polit. desumpserunt.

Sed & quinta ratio reddi potest de similitudine cõpacti corporis humani, quod constat ex quatuor elementis, d. cap. non debet. & cap. in quadam. de celebrat. missar. glos. in Proœmio instit. §. Igitur. Cùm ergo homo ex quatuor elementis constet, quibus quatuor humores respondet, colligitur admodum probabiliter in quarto gradu penitus vim illam eiusdem sanguinis deficere, quę à primo stipite trahitur. In permistione enim sanguinis à patre accepti cum alio extraneo, quæ fit in generatione, id quod est subtilissimum, nimirum vis ignea primò confunditur & perit. Secundò vis aërea, tertiò aquea, quartò terrea. Vnde in quarta generatione totus ille sanguis perire videtur. 28

Et hæc ratio etsi non vt primaria, sed vt quædam congruentia adferatur, non tamen est inepta, aut ridicula, sed planè Physica, vt tradit S. Thom. in 4. sent. dist. 40. q. 1. art. 4. ita Bellar. d. cap. 29. in fin. antè quem obiectionibus adversariorum tenentium non rectè ab Ecclesia prohiberi coniugia vsq; ad quartum consanguinitatis & affinitatis gradum, pulchrè respondet.

## Ex Capite Decimo summarium.

1 *Cognatio spiritualis impedimentum impediens matrimonium contrahendum & dirimens contractum ex institutione Ecclesiæ. & nu. 4. & 5.*

2 *Cognatio spiritualis oritur ex Baptismi & confirmationis sacramento.*

3 *Obiectio.*

4 *Responsio.*
5 *Cognationis spiritualis definitio.*
6 *Cognationis spiritualis tres species.*
7 *Hodié cessat fraternitas, & aliqua ex parte compaternitas.*
8 *Per Concilium Tridentinum multæ quæstiones sublatæ remissivè.*
9 *Cognatio spiritualis oritur ex Baptismo etiam collato à Laico tempore necessitatis.*
10 *Cognatio spiritualis an per procuratorem, & nuncium contrahatur.*
11 *Ex Catecheismo non oritur cognatio spiritualis matrimonium dirimens.*

## CAPVT DECIMVM.

PERSPECTIS obiter ijs, quæ de consanguinitate & affinitate tradi solent, superest pauca, quæ de cognatione spirituali & legali. Item de publica honestate traduntur, subiungere. Primò igitur sciendum est cognationem spiritua-1 lem esse impedimentum impediens matrimonium cõtrahendum, & dirimens contractum, vt patet ex cap. veniens. & cap. fin. de cognat. spirit. & cap. 1. & fin. eod. tit. lib. 6. cap. de eo. 30. q. 1. S. Thom. in 4. sent. dist. 42. & quodlib. 6. q. 3. Nam & rationes illæ quatuor pro confirmatione impedimenti cognationis carnalis allatæ, vim etiam habent in cognatione spirituali, vt etiam legali. Et hoc impedimentum iure Canonico institutum fuit, non naturali, nec diuino, quod ab omnibus receptum est.

Hoc

Hoc tamen esse antiquissimum institutum probatur testimonio originis, qui explicans illum Diui Pauli locum ad Roman. 16. Lucius, Iason & Sosipater cognati mei, hanc, inquit, cognationem vel consanguinitatem arbitror esse ex Baptismo contractam. Nam & quod susceptores, qui partim vocantur, adhiberi conveniat in Baptismo ex rraditione Apostolorum, testis est S. Dionysius in lib. de Ecclesiastica Hierachia cap. 7.

2 Oritur autem ex Baptismi confirmationisvè sacramento, in quo is, qui sacramentum confert parentis vicem gerit, is autem qui baptizato aut confirmato assistit, ac pro eo respondet, ipsumvè in sacramento Baptismi tenet aut à fonte suscipit pædagogus censetur. c. vos antè omnia, de consecrat. dist. 4. d. cap. 1. & fin. de cognat. spirit. in 6. S. Thom. in 3. part. q. 67. art. 7. Couar. lib. 4. decretal. 2 part. cap. 6. §. 4. num. 1.

3 Verùm his obijci potest, ac dici: Omnes Christiani sunt fratres, ac omnes Christianę sorores, proinde omnes sunt inter se spirituales cognati: Quare aut cognatio spiritualis non debet censeri impedimentũ, aut certè Christiani cum solis Ethnicis coniugia celebrare poterunt.

4 Huic obiectioni respondetur, impedimentum cognationis spiritualis non ex iure naturæ, sed ex Ecclesiæ arbitrio pendere, Ecclesiam verò non quamlibet cognationē spiritualem impedimentum constituisse, sed eam solā, quæ ex Baptismi & confirmationis sacramento oritur. Nam vt hanc cognationem impedimentũ faceret, habuit causam rationabilem, quia vnus ab alio recipit esse spirituale, & ideò debet illi peculiarem reuerentiam neq; vllum absurdum ex hac impedimenti additione sequi videbat. At vt cognationem, quæ est inter omnes

Christianos, impedimentum faceret, neq; causam habuit (non enim illæ quatuor rationes, superiori capite pro confirmatione impedimenti cognationis carnalis allatæ, in hac cognatione locum habent) & absurdum maximum sequi videbat, nimirùm vt cogerentur fideles infidelibus copulari. Ita doctè Bellarm. lib. 1. de matrim. sacram. cap. 30.

5 Definitur autem hæc spiritualis cognatio hoc modo, quod sit attinentia duarum personarum, quæ ex statu to Ecclesiæ oritur per Baptismi & confirmationis administrttionem, vel susceptionem baptizati, aut confirmati. Canonistæ in Rubr. de cognat. spirit. S. Thom. & reliqui in 4. sent. dist. 40. glos. & Doct. in d. cap. 1. de cognat. spirit. lib. 6.

6 Et hæc olim secundũ iura antiqua triplex erat, paternitas cõpaternitas & fraternitas iuxta gl. in d. c. 1. Paternitas est, quæ cõtrahitur inter baptizantem (qui locũ patris sibi vendicat, siue sit Clericus, siue laicus, vir aut fœmina) & baptizatum, ac inter baptizatum & patrinum, qui locum matris sortitur, siue sit vnus, siue plures, siue vir, siue fœmina. d. cap. fin. de cognat. spirit. lib. 6.

Compaternitas est, quæ contrahitur inter patrem & matrem baptizati, ex vna parte, & ex altera inter baptisantem, & patrinum, vel patrinos, qui ex sacro fonte suscipiunt, si sunt baptizati (quamuis sint schismatici vel hæretici) aliâs non: cùm non sint eius capaces. secundũ S. Thom. & Richard. in 4. sent. dist. 42. art. 1. q. 3. & Martin. Nauar. in Enchirid. de sacram. matrim. cap. 22. nu. 36. neq; etiam inter baptizantem & patrinos baptizati. Fraternitas est cognatio inter baptizatum, & filios naturales baptizantis, & patrinorum, etiam non legitimos,

quin

quin & habitos post baptismum. Dictum est (olim secundùm iura antiqua) quia hodiè cessat fraternitas, & aliqua ex parte compaternitas per Concilium Trident. sess. 24. c. 2. in decret. de reformat. matrim. Illud enim statuit, vt vnus tantùm (siue vir siue mulier) iuxtà sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant: inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatiq; patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Ea quoq; cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmãtem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenẽtem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis sublatis.

8 Per quod Concilium sublatæ sunt hodiè plurimæ quæstiones in specie notatæ per Martin. Nauar. d. cap. 22. num. 38. & 39.

9 Hoc loco & illud notandum est, laicum tempore necessitatis alium baptizantem ipso baptizato patrem spiritualem fieri, & in prima cognationis specie includi. not. Couar. d. §. 4. num. 4 ex Floren. 3. part. tit. 1. cap. 15. § 3. deducente hoc ex d. cap. 1. vers. eadem. de cognat. spirit. in 6.

10 Sed quæstionis est: An cognatio spiritualis per procuratorem contrahatur. Ad hanc quæstionem respondet. Bartol. in l. Gallus. §. forsitan. ff. de liber. & posth. quem ibi alij communiter sequuntur, negatiuè. Idem respondet & tenet præpos. in d. cap. veniens. de cognat. spirit. Syluest. in verb. matrimonium. 8. q. 7. vers. Quartum decimum, quos & alios refert & sequitur. Couar. d. §. 4. num. 6. Idem respondent de nuncio, quod nempè

cognatio ſpiritualis per nuncium, etiam ad id ſpeciali mandato, delegatum non contrahatur. Conſuetudo tamen præſertim in magnis viris affirmatiuum ſententiam approbauit, vt tradit Peruſin. in d. cap. 1. de cognat. ſpirit. in 6.

11 Deniq; in hac materia, & illud obſeruandum eſt, quod ex Catechiſmo cognatio ſpiritualis nō oriatur, quę matrimonium poſt Catechiſmum contractum dirimat; quamuis contrahendum impediat. cap. per Catechiſmum. de cognat. ſpirit. in 6.

## Ex Capite Vndecimo ſummarium.

1 *Cognatio legalis impedimendum dirimens matrimonium contractum. & nu. 4.*
2 *Cognationis legalis definitio.*
*Cognatio legalis qualiter contrahatur ibid.*
3 *Cognatio legalis vim ſuā habet ex Eccleſiæ conſtitutione.*
4 *Effectus cognationis legalis.*
5 *Cognationis legalis impedimenti ratio.*
6 *Cognatio legalis triplex.*
7 *Differentia inſignis inter cognationem carnalem, ſpiritualem & legalem.*

## CAPVT VNDECIMVM.

1 COGNATIO legalis ſimiliter impedit matrimonium contrahendum, & dirimat contractum. gloſ. in cap. vnic. de cognat. leg. text. in c. ita diligere. &c. per adoptionem 30. q. 3. Theologi communiter. in 4. ſent. diſt. 42.

2 Eſt autē cognatio legalis propinquitas ex adoptione

vel

vel arrogatione alicuius in filium promanans. d. glos. in cap vnic. & ibi Doct. & Theologi citato loco. Ex adoptione inquam, cùm quis in proprium filium assumit eum, qui sub patris carnalis potestate est, quo casu adoptatus non ttansit in potestatem adoptantis. l. 1. & 2. ff. de adopt. & l. pen. C. eod. Ex arrogatione verò, cum quis liberum à patria potestate accipit in filium, quo casu arrogatus in arrogantis potestatem transit.

3 Sciendum autē est, cognationem istam legalē vim & vigorem habere non solum à lege ciuili, sed etiā ex institutione Ecclesiæ, nam lex ciuilis sola non sufficeret.

4 Effectus autem eius est impedire matrimoniū simpliciter, vel ad tempus secundùm omnes, & etiam dirimere secundùm communem opinionē, quæ est S. Tho. Richard. d. dist. 42. Ioan. de Lign. Panor. & glos. in d. cap. vnic. de cognat. leg. vbi dicitur, quod adoptione durante, nuptiæ consistere nequeant. facit. d. c. ita deligere. & c. per adoptionem. 30. q. 3.

5 Ratio verò huiusmodi prohibitionis est cohabitatio, quę solet esse inter tales, quia lex diuina præcipuè illas personas à matrimonio, quod cōcupiscentiam reprimit, exclusit, quas necesse erat cohabitare, ne si ad eas licita esset copula, facilis peteret aditus concupiscentiæ. ita S. Thom. d. loco. quem refert & sequitur Syluest. verb. matrimonium. 8. q. 8. Et proinde rationes illæ quatuor pro confirmatione impedimenti cognationis carnalis supra. in fin. cap. 9. allatæ, etiā vim habent in cognatione legali.

6 Hæc autem cognatio est triplex. Prima ascendentiū & descendentiū, adoptantis nempè, & adoptati, ac descēdentiū eius, quæ nec dissolutione adoptionis, nec emancipatiōe tollitur. d. c. ita diligere. & §. Ergo, instit. de nupt.

Secunda

Secunda est quasi transuersalis, inter adoptatum & filios naturales adoptantis, durante adoptione, & filio naturali existente in patris potestate. secus non. d. cap. vnic. & l. per adoptionem. ff. de adopt. Tertia est quædam legalis affinitas inter vxorem adoptati & adoptantem, ac inter adoptatum & adoptantis vxorem.

Et hæc tertia cognationis legalis species, sicut & prima est perpetua, & impedit matrimonium etiam post emancipationem. l. adoptiuus. ff. de ritu nupt. Secunda autẽ non, quia soluta adoptione possunt contrahere matrimonium; cùm non duret, nisi quamdiu manet adoptatus in potestate adoptantis. d. cap. vnic. & d. l. per adoptionem. Vnde mortuo patre, vel filio emancipato, potest inter eos matrimonium contrahi. Inter patrem tamen naturalem, & matrem adoptantem, & inter patrem adoptantem & matrem naturalem adoptati nõ contrahitur cognatio legalis. arg. d. c. ita diligere. S. Thom. in 4. sent. d. dist. 42. q. 2. art. 3. ad 1. Vnde cõsequitur adoptantem cum adoptati matre contrahere posse, etiam filio adoptato viuente. Adoptans tamen aliquam in suam filiam, non potest cum illa nec aliqua eius descendente intra quartum gradum contrahere. d. c. ita diligere. etiam post emancipationem. d. §. ergò. instit. de nupt. cuius est ratio quod sint inter se tanquam ascendentes & descendentes. Neq; potest adoptans cum vxore filij adoptiui, eo mortuo contrahere, nec filius adoptiuus cum vxore adoptantis eo mortuo. d. l. adoptiuus.

Ex his etiam colligitur adoptiuum cum filia naturali adoptantis, eo viuente, illaq; in eius potestate manẽte matrimonium contrahere non posse, eo tamen mortuo, vel filia emancipata, aut ipso emancipato contrahere posse.

re posse.d. cap. vnic. & d.l. per adoptionem. & §. inter eas instit. de nupt. Adoptiuum tamen cum filia illegitima adoptantis contrahere posse receptum est, cum non sit in potestate patris. glos. in sæpè d. cap. vnic. & ibid. Panor. Host. & Innocent. Syluest d. loco. & Martin. Nauar. in Enchirid. cap. 22. num. 45.

7 Est tamen inter cognationem carnalem, spiritualem, & legalem insignis notanda differentia: Quia consanguinei intrà quartum gradum matrimonium contrahentes non solùm peccant. cap. non debet. de consanguinit. & affinit. sed etiam sunt ipso iure excommunicati. clem. vnic. de consang. & affinit. quod idem de affinibus dicendum est. Cognati verò spirituales, vel legales, licet matrimonium inter se contrahendo peccent, non tamen sunt excommunicati, sicut nec consanguinei sola sponsalia de futuro contrahentes. glos. communiter approbara. in d. clem. vnic. Martin. Nauar. d. loco. Et tantùm de cognatione legali.

## Ex Capite Duodecimo summarium.

1 *Publicæ honestatis iustitiæ impedimentum oritur ex sponsalibus de futuro, vel de præsenti antè coitúm.*

2 *Idem oritur ex sponsalibus nullis, modo ijs consensus præstitus sit.*

3 *Publicæ honestatis iustitiæ impedimentnm ab Ecclesia constitutum.*

4 *Impedimentum publicæ honestatis restrictum per Concil. Trident.*

7 *Impedimentum publicæ honestatis oritur ex matrimonio invalido per verba de præsenti contracto.*

# CAPVT DVODECIMVM.

QVOD verò ad publicæ honeſtatis iuſtitiæ impedimenrum attinet, ſciendum illud oriri ex ſponſalibus de futuro, vel præſenti antè coitum. 1 Vnde propinquitas dicitur ex ſponſalibus proveniens. Nam honeſtum eſt, vt frater cum illa, quæ fratris ſponſa fuit, etiam fratre præmortuo, minimè contrahat matrimonium. Huius honeſtatis etiam meminit Iuriſconſultus. in l. ſi qua. §. 1. & l. ſemper. ff. de ritu nupt. & in §. ſi vxor. inſtit. de nupt. vbi Theophil. idem notat.

2 Nec refert an ſponſalia nulla ſint, modo conſenſus eis præſtitus fuerit. cap. ad audientiam. cap. Iuuenis. c. ſponſam. de ſponſalibus. cap. 1. in princip. eod. tit. lib. 6.

3 Eſt autem & hoc impedimentum ab Eccleſia inductum ob publicam honeſtatem. Palud. in 4. ſent. diſt. 27. q. 2. art. 5. idem diſt. 21. q. 2. art. 3. Florent. 3. part. tit 1. cap. 10. Eſt enim publica honeſtas inchoata quædam affinitas, ſicut ſponſalia matrimonium inchoatũ dici poſſunt. Vnde ſicut perfecta affinitata impedimentum eſt matrimonium dirimens in omnibus gradibus, ita par erat, vt publica honeſtas matrimonium in aliquo ſaltem gradu dirimeret. Bellarm. lib. 1. de matrim. ſacram. cap. 30. Propter hoc impedimentum prohibentur conſanguinei iure veteri intra quartum gradum matrimonium cum ſponſa cognati etiam præmortui contrahere, quod ab omnibus receptum eſt. in d. cap. ſponſam. vbi potiſſimum. id notat. Abb. & Præpoſ. gloſ. Ioan. Andr. & Franc. in d. cap. 1. in prin. Couar. 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 2. num. 1.

Dixi

Dixi iure veteri, quia iure nouo Concilij Trident. seſs. 24. c. 3. in decret. de reformat. matrim. hoc impedimentum reſtrictum eſt. Statuit enim illud, impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis non oriri ex ſponſalibus quacunq; ratione invalidis, vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedere. Rationem reſtrictionis ſubiungit: Quod in vlterioribus gratib. iam non poſſit huiuſmodi prohibitio abſq; diſpendio obſeruari. 4

Notandum tamen hîc eſt ex Martino Nauarro in Enchirid. cap. 22. num. 57. Matrimonium etiam invalidum per verba de præſenti contractum, producere hoc impedimentum, & conſequenter differre in hoc à ſponſalibus per verba de futuro contractis, declarauit Pius V. Pontifex maximus in Extrauag. Ad Romanum. lata Anno 1566. Quamuis etiam hodiè, quod de ſponſalibus dicitur, dici etiam poſſit de matrimonio contracto per verba de præſenti inter impuberes, illud enim ſoluitur in ſponſalia de futuro. cap. 1. §. 2. de deſponſat. impub. lib. 6. 5

Ex quibus infertur, quod qui primũ contrahit ſponſalia cum aliqua poſteà verò matrimonium cum cognata eius, priorem debet accipere, quandoquidem matrimonium cum ſecunda ob impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis nullum fuit. Si verò cum ſecunda rem habuit, neutram habere poteſt: Non ſecundam propter hoc impedimentum, non priorem propter affinitatis obſtaculum, ita poſt Doct. in cap. literas de deſponſ. impub. & cap. ex literis. de eo qui cogno. conſang. vxor. ſuæ. Nauar. citato loco.

# Ex Capite Decimo tertio summarium.

1 *Consobrini, an summi Pontificis dispensatione matrimonium inter se contrahere possint?*
2 *Dispensare quid sit & num.* 49.
3 *Argumenta pro huius quæstionis parte negatiua & nu.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.
11 *Huius quæstionis pars affirmatiua asseritur. & nu.* 18. 19. 20. 21. 22. & 23.
12 *Consobrini qui dicantur.*
13 *Consobrini de iure ciuili inter se matrimonio iungi possunt. & nu.* 21. *secus de iure Canonico & n.*16. & 25.
14 *Inter ascendentes & descendentes nuptiæ iure naturali & diuino prohibitæ.*
15 *Nullus gradus iure diuino prohibitus hodiè est, qui idem naturali iure non sit prohibitus.*
16 *Inter collaterales iure positiuo usq; ad quartum gradum inclusivè prohibitæ sunt nuptiæ.*
17 *In gradibus iure positiuo prohibitis summus Pontifex dispensare potest.*
18 *Non est minoris authoritatis summus Pontifex in condendis legibus, quàm sit ipsemet Imperator.*
19 *Eius est dispensare, qui legem tulit.*
20 *Eius est soluere, cuius est ligare & damnare.*
21 *Duorum fratrum liberi neq; lege diuina, nec humana prohibentur matrimonium contrahere, sed tantùm lege pontificia.*
22 *Dispensare potest Papa circa ius humanum, etiam in his quæ ab Apostolis fuêre statuta.*
23 *Potestas dispensandi Romano Pontifici à Deo, non à Concilio data est.*

24 *Respon-*

24 *Respondetur argumentis in contrarium suprà allatis. & nu. 25. 26. & seq.*
25 *Iura positiua à summo Pontifice lata ab eodem reformari, limitari & tolli possunt.*
26 *Par in parem non habet imperium.*
27 *In causis definiendis ius Canonicum SS. Patrum scriptis præfertur.*
28 *In his qui sunt iuris positiui dispensare potest Papa etiam sine iusta causa.*
29 *Per dispensationem inter consobrinos factum status vniuersalis Ecclesiæ non deformatur.*
30 *Summus Pontifex qua ratione possit prohibere coniugalem contractum & nu. 31.*
32 *Lex ciuilis non potest matrimonium prohibere.*
33 *Quod Christus per se potest, hoc potest etiã per vicarium.*
34 *Leges de matrimonio non sunt merè politicæ, sed etiam spirituales.*
35 *Romanus Pontifex an possit dispensare, vt patruus neptem vxorem accipere possit.*
36 *Patruus iure naturæ potest neptem in vxorem ducere, & ideò nunc poterit ex Romani Pontificis dispensatione & nu. 37.*
38 *Non omnia impedimenta Leuitici. 18 expreßim facta sunt iuris naturalis, vnde Romanus Pontifex in quibusdam dispensare potest. & nu. 39.*
40 *Quibus causis Romanus Pontifex in gradibus veteri lege prohibitis dispenset. & nu. 43.*
41 *Dispensatio circà ius humanum sine iusta causa concessa, an reddat quem tutum quo ad Deum.*
42 *Gradus remotioris à stipite lineæ transversæ in dispensatione solùm mentio facienda.*

## CAPVT DECIMVM.

CÆTERVM cùm suprà capite 9. dixerim matrimonium intrà quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum contractum, ipso iure invalidum esse, nunc operæ pretium erit, tra-
1 ctare eam quæstionē. An consanguinei, vt exempli gratia, consobrini summi Pontificis dispensatione matrimonium contrahere possint; & an summus Pontifex tali in causa dispensandi facultatem habeat.

2 Hîc præmittendnm breuiter, quod dispensare nihil

hil aliud ſit, quàm priuatim aliquem ab obligatione legis eximere. Nam lex ponitur reſpiciendo ad id, quod eſt, in pluribus bonum; ſed quia contingit huiuſmodi in aliquo caſu non eſſe bonum, oportuit per aliquem determinari in illo particulari caſu legem non eſſe ſeruandam. S. Thom. 22. q. 88. art. 10. quem refert & ſequitur Couar. in Epitome lib. 4. deſponſalibus. 2 part. cap. 6. §. 9. num. 2.

Ad propoſitam quæſtionem, videtur reſpondendum eſſe negativè, nempè, quod conſobrini diſpenſante ſummo Pontifice non poſſint matrimonium contrahere, & ſi contrahant, quod matrimonium ita contractum ſit ipſo iure nullum.

3 Et probatur hoc primò authoritate iuris ciuilis in l. ſemper. ff. de ritu nupt. vbi expreſsè dicitur. In contrahendis nuptijs non ſolùm quid liceat, ſed & quid deceat & honeſtum ſit, ſpectandum eſſe. At ſi licitum eſſet conſobrinis inter ſe matrimonium contrahere non ſpectaretur id quod decet & honeſtum eſt. Ergò matrimonium inter conſobrinos non eſt licitum.

4 Secundò probatur authoritate iuris Canonici, quod in hac materia tanquam concernente peccatum, diligenter eſt attendendum. cap. Clerici. de iudic. cap. fin. de ſecund. nupt. c. Euthemium. §. hinc colligitur. verſ. cùm enim leges ſæculi. 2. q. 3. Auth. vt Clerici apud proprios Epiſcopos. §. ſi verò Eccleſiaſticum. collat. 6.

Nam ille coitus præſumitur prohibitus per quem publica honeſtas læditur. argu. c. ad ſedem. verſ. fratres itaque. 35. q. 5. & c. de inceſtis. verb. conſobrinæ. eadem cauſ. q. 2. & 3. At propter conſobrinorum coitum læditur

tur publica honestas. Ergò matrimonium inter illos consistere nequit.

5 Tertiò probatur idem fortiùs ex constitutione Clementis Papæ in Extrauag. Eos qui. de consang. & affinit. in qua asserit, quod non intendat deinceps dispensare de his, qui scienter de spe veniæ in gradibus prohibitis matrimonia contraxerunt. Quæ constitutio iuxta Felin. doctrinam. in cap. pastoralis de fide instrum. & in cap. 1. de treg. & pac. meritò est attendenda.

6 Huic sententiæ subscribit D. Augustin. lib. 15. de ciuit. Dei. cap. 6. hunc in modum dicens: In consobrinis propter gradum consanguinitatis fraterno gradui proximum, propter vicinitatem maiores suos connubia reputasse illicita. Hinc quidam ex Theologis asserunt, se ipso experimento didicisse, sobolem ex huiusmodi matrimonio genitam, non posse succrescere, sed frequenter primo genitos mori, imò parentes nedum prolem citò deuorari.

7 Et scribit S. Gregorius. relatus in c. fraternitatis. 35. q. 10. qui huiusmodi impedimenta intra quartum gradum consanguinitatis soluit, verbum Dei negare videtur, quod ex iustitia publicæ honestatis facilè patere potest, cùm authoritate Ecclesiæ ista nuptialis commixtio intra quartum gradū prohibita sit. secundùm glos. sing. in cap. 1. de sponsalib. & cap. 1. de despons. impub. Ex quibus colligi videtur, summum Pontificem inter consobrinos dispensare non posse.

8 Nam in his, quæ sancti Patres definiuerunt, dispensationis facultas summo Pontifici adimitur. c. sunt quidam. 25. q. 1. Insuper quod Romanus Pontifex præter ius naturale legitimas, illegitimasq; constituere nuptias non

non possit, vel quod in idem recidit, circa illegitimas nuptias dispensandi, declarandi & interpretandi potestatem habeat nullam, probatur hoc argumento.

Matrimonium à Deo est institutum, sed inferior non potest legem superioris mutare. Igitur Romanus Pontifex non potest circa matrimonium aliquid noua prohibitione, vel concessione inducere, vel permittere. Deniq; Romanus Pontifex non est suprà Christum, cùm ipse etiam non nisi vicarium eius se faciat. At Christus non venit leges politicas constituere, sed verbum Dei annunciare: Ergò nec Romanus Pontifex debet aut potest eiusmodi leges ferre.

Verùm his & similibus argumentis in contrarium allatis non obstantibus, quæstionis propositæ pars affirmatiua indubitanter est asserenda & tenenda, quod nimirum summus Pontifex dispensandi inter consobrinos potestatem habeat. Antequam tamen ad id probandum aggrediar per modum præviæ cuiusdā inspectionis præmittendum est. 11

Primò: Eos propriè dici consobrinos, qui ex duab. sororibus, & ex sororibus & fratribus procreantur, secundùm Angel. & Doct. in Rubr. instit. de testam. 12

Secundò præmittendum, duorum fratrum liberos qui propriè patrueles appellantur, vel duarum sororum, propriè consobrini, quasi consorini, vel fratris & sororis liberos, amitini dicuntur, de iure ciuili matrimonialiter fine vlla summi Pontificis dispensatione coniungi posse. §. Deorum. instit. de nupt. & l. celebrandis C. eod. l. 3. & l. non solùm. ff. de ritu nupt. 13

Tertiò præmittendum, quosdam gradus esse de iure naturæ, vel diuino prohibitos, vt inter ascendentes & 14

descendentes, secundùm Canonistas in cap. literas. & ibi glos. de restit. spoliat. & in c. Pictacium, vbi glos. mag. 30. q. 3. vbi etiam lex Leuitica allegatur. Et quidem prohibentur nuptiæ inter ascendentes & descendentes in infinitum. l. nuptiæ consistere. & l. fin. ff. de ritu nupt. ascendentes enim in numero parentum & descendentes in numero liberorum sunt in infinitum. Vnde inferunt Doct. quod si Adam hodiè viueret, quod nullam inveniret vxorem, cùm omnes homines illius descendentes & sic liberi sint,

Et in his gradibus summus Pontifex etiam de absoluta sua potestate dispensare nō potest. Nam summus Pontifex ius diuinum vsq; ad animam defendere debet. d.c. sunt quidam. 25. q. 1. Iuraq; naturalia sunt immutabilia. §. sed naturalia. instit. de iur. nat. gent. & ciui.

15 Nullus quoq; gradus iure diuino prohibitus hodiè est, qui idem naturali iure prohibitus non sit. Lex enim vetus adventu Christi exspirauit. cap. translato. de constitut. docet S. Thom. 1. 2. q. 98. art. 1. & q. 104. art. 3. Magist. in 4. sent. dist. 3. & ibi cæteri Theologi. In lege autem Euangelica nullum præceptum continetur, quod non sit iuris naturalis, præter præcepta de sacramentis atque fide. Thom. 1. 2. q. 108. art. 1. & 2. idem quodlib. 4. art. 13. Igitur circa matrimonium nullus gradus erit diuina lege prohibitus, qui non sit iure naturali prohibitus. Couar. 4. decretal. de sponsalib. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 1.

16 Quidam verò gradus, puta collaterales sunt de iure positiuo, non tamen diuino prohibiti vsq; ad quartum gradum inclusivè, iuxta cap. non debet. de consanguinit. & affin. & cap. cùm inhibitio, de Clandest. despons. Cyn.

& Bald.

& Bald. in d. l. celebrandis. C. de nupt. Rationes huius prohibitionis habes suprà. cap. 9. nu. 24. 25. 26. 27. & 28.

Et in his gradibus iure positiuo prohibitis summus Pontifex dispensandi habet licentiam, etiam in secundo gradu secundùm computationem iuris Canonici in linea æquali, quo gradu sunt consobrini, in quo omnes Doct. iuris Canonici concordant. in d. cap. literas post glos. cap. gaudemus de diuorr. cum similib. Imò etiam in secundo gradu lineę inæqualis dispensare potest vti infrà. nume. 36. & 38. dicetur. His ita præsuppositis probatur primò, quod summi Pontificis concessione duorum fratrum liberi matrimonialiter copulari coniungiuè possint. 17

Non est minoris authoritatis in condendis legibus summus Pontifex quā sit ipsemet Imperator: Imò summus Pontifex in positiuis est suprà ius. c. proposuit. de cōcess. præbend. l. digna vox. C. de legib. At Imperator potest leges ab ipso latas rursum tollere. l. 1. & 2. C. de legib. Ergò & summus Pontifex poterit Canones ab ipso sancitos rursum tollere. 18

Secundò probatur idem ex l. si imperialis. C. de legibus. vbi satis euidenter probatur, quod eius sit dispensare, qui & legem tulerit. Verùm solus summus Pontifex has prohibitiones induxit: Ergò & solus Pontifex in prohibitis iure positiuo gradibus dispensare poterit. 19

Tertiò probatur: Nam eius est soluere, cuius est ligare, & damnare. l. nemo qui condemnare. ff. de reg. iur. At solus summus Pontifex damnat huiusmodi cōtracta matrimonia: Ergò & solus summus Pontifex soluere poterit. 20

Hanc ipſam concluſionem comprobat Ioan. And.
21 huncin modum inquies. Neq; lex diuina nec humana prohibet liberos duorum fratrum licitè contrahere, & eſſent filij inde nati legitimi, ſuorumq; parentum ſucceſſores, niſi lex Papæ prohibuiſſet, iuxta gloſ. in d. l. celebrandis. & Angel. poſt gloſ. in d. §. duorum. Cùm ergò in his poſitiuis ſummus Pontifex ſit ſupra ius ſequitur euidentiſſima ratione, quod tale ius poſitiuum ipſe ſummus Pontifex in caſu certo licitè tollere, limitare & interpretari poſſit. arg. cap. 1. & 2. de filijs Presbyt. & d. l. 1. C. de legib. Abb. in cap. per venerabilem. 4. col. qui filij ſint legit. Et eſſet inſtar ſacrilegij de poteſtate diſpenſandi eo caſu dubitare. l. ſacrilegij. C. de diverſ. reſcript. & latè Socin. conſil. 13. incip. præſens conſultatio. & conſil. 164. incip. viſa bulla Bonifacij, cùm ſufficiat Papam ita voluiſſe. cap. cùm ad monaſterium, de ſtatu regul.

22 Diſpenſare autē poteſt ſummus Pontifex circa ius humanum, etiam in his, quæ ab Apoſtolis fuère ſtatuta. not. S. Thom. d. quodlib. 4. d. art. 13. atq; etiam contra ſancita in Concilio totius Eccleſiæ. gloſ. & Doct. in d. c. propoſuit. de conceſ. præb. gloſ. in cap. vbi periculum. verb. concilio. de elect. in 6. Poteſt enim Romanus Pontifex ius humanum tollere per ſuprà dicta. At in Concilio ſtatutum ius, humanum eſt: Igitur & illud poteſt tollere. Vnde ius diſpenſandi in iure humano Romano Pontifici non aufertur, etiamſi Concilium vniverſale, futuris Romanorum Pontificum diſpenſationibus deroget.

23 Cuius eſt ratio: Quia poteſtas Romano Pontifici à Deo, non à Concilio data eſt. d. cap. tranſlato, de conſtitut. Couar. d. cap. 6. §. 9. nu. 6.

Nec

Nec obſtant, quæ ſuprà in contrarium ſunt allata, quæ etſi per præmiſſas reſolutiones ſatis ſufficienter ſint refutata, tamen ſpecialibus reſpondendo, non adverſatur, quod primò prætenditur ex authoritate iuris ciuilis, in nuptijs nimirùm contrahendis, non ſolùm quid liceat, ſed & quid deceat, & honeſtum ſit ſpectandum eſſe, quæ iuris ciuilis authoritas veriſſima eſt, non tamen ideò ex illa inferri poterit, quod in coniungendis conſobrinis hæc ratio non habeatur, alioquin ipſum ius ciuile huiuſmodi conſobrinorum coniunctionem, quã vti dictum eſt; approbat, non ſuſtinuiſſet. Vnde inferre poſſum non duntaxat id quod licet & decet, ſed & quod honeſtũ eſt, accedente ſummi Pontificis conſenſu in coniungendis conſobrinis ſpectari. Secus tamen ſi excluſa eius ſummi Pontificis authoritate huiuſmodi fierent cõiunctiones. Nam tunc non matrimonia, ſed connubia erunt: Et ſic etiam per conſequens liberi inde nati, non legitimi, ſed ex vago concubitu, hoc eſt, baſtardi ſeu ſpurij dicentur. 24

Nec obſtat ſecundum argumentum: Ad illud namq; reſpondetur negando aſſumptionem: nimirum, quod propter conſobrinorum coniugalem coitionem non lædatur publica honeſtas: Ratio negationis eſt: Nam nec lege diuina, nec humana ea coniunctio probibita eſt, ſed tantummodo iure poſitiuo, iura autem poſitiua à ſummo Pontifice lata & ſancita, poſſunt ab eodem reformari, & in certo aliquo caſu licitè tolli, limitari & explicari. arg. d. cap. 1. & 2. de filijs Preſbyt. & d. l. 1. C. de legib. 25

Ad tertium reſpondetur, quod Clemens ſummus Pontifex non potuerit præiudicare ſuo ſucceſſori: Cùm par in parem non habeat imperium. cap. inuotuit. §. 26

multa. de Elect. Felin. Dec. & alij in cap. 1. de probat.

27 Ad authoritatem D. Augustini & aliorum Theologorum respondetur, quod authoritas Sanctorum Patrum in definiendis causis, Pontificum scriptis & sanctionibus non præferatur, vt in summa dist. 20. & c. 1. & ibi gloss. Nec obstat authoritas D. Gregorij in d. c. fraternitatis. Non enim poterat, vt iam dictum est, præiudicare suo successori. Ad id quod suprà allatum est. In his quæ Patres benè definierunt, dispensandi facultatē summo Pontifici esse ademptam. d. c. sunt quidam. 25. q. 1. Respondetur nihil hoc obesse, cùm summo Pontifici licitum sit in his, quæ sunt iuris positiui dispensare, de cuius potestate qui dubitaret, in maximas pœnas á iure Canonico latas incideret.

28 Atq; adeò hoc verum est, vt summus Pontifex circa ius humanum & positiuū dispensare possit, nulla existente causa; Nam vt dispensatio vel actus ex ea secutus valeat, est in Principe pro ratione voluntas. gloss. quam ibi not. Bart. in l. relegati. ff. de pœnis. Vnde licet peccet concedendo dispensationem absq; iusta causa, concessio tamen valet, & actus ex ea secutus firmus erit. not. Caiet. 1. 2. q. 96. art. 5. ad fin. Innocent. in d. cap. cùm ad monasterium de stat. regul. Abb. in cap. non est. de voto. & in cap. de mulcta. num. 20. de præbend. refert & sequitur. Couar. d. §. 9. num. 10.

29 Præterea constat, quod per huiusmodi dispensationem inter consobrinos, nec status vniversalis Ecclesiæ decoloretur. gloss. cap. à nobis. de decim. nec aliqua periculosa nouitas intraducatur. arg. cap. fin. de condit. appos. & cap. de infidelium. de consang. & affinit. Imò res redit ad sua initia, & pristinam contrahendi nubendiq;

diq; laxitatem. arg. c. etsi illa. 2. q. 7. & §. cùm verò tuam. instit. de rer. diuis. Mynsing. Decad. 8. respons. 72. num. 17. Neq; per huiusmodi dispensationem ratio legis cessat in communi, sed in particulari actu, & ideò lex non cessat Clem. ad nostram. de hæret. c. Etsi Christus. de iureiur. leges enim quarum ratio continua, quarũ finis cõmunis est & vniversalis non cessant, licet in particulari casu finis per eas intentus non sequatur. Couar. d. §. 9. n. 8. Vnde per huiusmodi dispensationẽ inter consobrinos factam, non solùm status vniversalis ecclesiæ nõ deformatur, sed etiam nec lex vniversalis læditur & tollitur.

Ad penultimum argumentum respondetur; materiam huius sacramenti esse hominem, qui quidem iuri humano subest, & tanquam reipub. membrum eius legibus obtemperare debet, idcircò humana lex potest aliquot homines à matrimonio auertere, & subtrahere materiam à sacramento, sicut posset Romanus Pontifex eximere à parocho subditum, quem Parochus absoluere poterat à peccatis sacramento pœnitentiæ, & tamen nũc non potest, nec per hoc mutat Romanus Pontifex quicquam circà sacramentum, sed vel exhibet, vel detrahit materiam sacramenti Palud. in 4. sent. dist. 26. q. 4. art. 3. & Hadria. in 4. sentent. tract. de matrim. Couar. 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. numer. 17. Vel secundò responderi potest.

Quod matrimonium etiam si sacramentum sit plurimùm tamen accedit humano contractui, & ideò mirum non est, si lege humana & Pontificia quidam eximãtur ab hoc contractu propter ipsius Christianæ Reipub. vtilitatem. Quo fit vt de materia huius sacramenti matrimonij non sit omninò necessaria rigorosa exactaq; disputatio-

ſputatio, cùm humanus contractus ex Chriſti inſtitutione apud Chriſtianos etiam ſit ſacramentum.

Qua verò ex parte contractus eſt, humanis legibus tractari, eisdemque ſubijci iuxtà Canonicas ſanctiones conſtet, ita doctè & eleganter Couar. iam citato loco.

Sed obijciet quis ac dicet: Ex contractu matrimonij non ſolùm ſalus animarum, ſed etiam pax & concordia temporalis pendet: vnde non ſolùm Romanus Pontifex, ſed etiam Principes politici poterunt impedimenta matrimonij conſtituere. Huic obiectioni reſpondetur: ſi matrimonium eſſet tantū contractus ciuilis, poſſent politici Principes impedimenta conſtituere, perſonas legitimas, vel illegitimas efficiendo, ſicut etiam fecerunt Imperatores præſertim Ethnici, vt patet ex tit. ff. de ritu nupt. & tit. C. ad l. Iul. de adult. vbi multæ ſunt leges de contractu matrimonij.

31 Quia verò nunc matrimonium apud Chriſtianos eſt ſacramentum, & ex cōtractu illo ciuili ſacramentum Eccleſiæ pendet, & ſacramentorum diſpenſatio ad Eccleſiam pertinet: Ideò poteſtas impedimenta matrimonij conſtituendi, maximè propriè ad Principem Eccleſiaſticum pertinet.

Ad politicum autem non pertinet, niſi cum conſenſu & ſubordinatione ad Principem Eccleſiaſticum. Nam eadem poteſtas ad duo tribunalia æquè immediatè & propriè pertinere non poteſt. ita pulchrè Bellar lib. 1. de matrim. ſacram. cap. 21. Hoc ipſum antè eum tenuit. S. Thom. in 4. ſent. diſt. 42. q. 2. art. 2. ad 4. vbi dicit; prohibitio legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum matrimonij, niſi interveniret auctoritas Eccleſiæ, quæ idem etiam interdicit.

Vnde

Vnde ſolus Romanus Pontifex poteſt ſtatuere circa matrimonia contrahenda, vel prohibenda, neq, id ad ſæculares Iudices pertinet. text. in cap. tuam. de ordin. cognit. cap. cauſam quæ. el. 2. qui filij ſint legit. cap. 1. de ſponſalibus. cap. fin. de raptorib. Ex quo etiam manifeſtè apparet non poſſe à ſæcularibus etiam ſummis Principibus lege prohiberi matrimonium cum alienigenis, vel cum certo hominum genere. Couar. d. §. 10. nu. 16. Cui ſuffragatur Concilium Tridentinum in decret. de reformat. matrim. c. 9. 32

Ad vltimum reſpondetur primò; Chriſtum non tuliſſe leges politicas, ſed potuiſſe ferre, ſi voluiſſet: & quod per ſe poteſt, poteſt etiam per Vicarios, præſertim cùm eæ leges ad æternam ſalutem fidelium neceſſariæ iudicantur. 33

Secundò reſpondetur, leges de matrimonio non eſſe merè politicas, ſed etiam ſpirituales, cùm matrimonium ſit ſacramentſtm. Vnde Chriſtus ipſe, ſicut leges aliquas tulit de ſacramentis cæteris, ita etiam de matrimonio, cùm ſuſtulit Polygamiam & repudium; & ſicut reliquit Eccleſiæ poteſtatem multa alia ſtatuendi circà alia ſacramenta, ita etiam circà matrimonia. ita doctè Bellarm. lib. 1. de ſacram. matrimon. cap. 29. Ex quibus fortaſſis prolixius deductis indubitanter concluditur, ſummum Pontificem inter conſobrinos matrimonium contrahere volentes, vel eos, qui fortè iàm contraxerunt diſpenſare poſſe. 34

Cæterum hoc loco inſignis ſeſe offert quæſtio; An Romanus Pontifex diſpenſare poſſit, vt patruus ſuam ex fratre, vel avunculus ſuam ex ſorore neptem in vxorem ducere poſſit. Cui quæſtioni, aliquot illuſtriſſimorum 35

& illustrium Germaniæ Principum & Procerum matrimonia, quæ cum neptibus ex fratribus & sororibus contraxerunt, occasionem dederunt. Huic quæstioni affimativè respondetur, scilicet, Romanum Pontificem dispensare hoc in casu posse.

36 Ratio huius est: Quia prohibitio matrimonij patrui cum nepte, non est iurisnaturalis nec diuini, sed solùm iuris humani positiui & canonici. VndeRomanusPontifex circa hanc prohibitionem dispensare potest. Quod non sit iuris naturalis probatur exemploAbrahæ, & fratris eius Nachor, qui (vt habetur Genes. 11.) duxerunt vxores, duas filias fratris sui Aran. Nam si iure naturali matrimonium inter Abraham & Saram irritum fuisset, non solùm peccasset Abraham contrahendo, sed etiam in coniugio permanendo: Nam tota ferè vita sua in incestu perseuerasset.

Quod de sanctissimo viro nullo modo nec dici nec credi potest. Et quamuis sancti Patriarchæ aliquando, vt homines peccauerint, tamen perpetuò in peccato manere non est sanctorum & amicorum Dei, quales illi sine dubio fuerunt. Imò Deus auctor naturæ contra naturæ ius coniugium non tolerasset. Quid? quod Deus coniugium Abrahæ cum fratris sui filia Sara approbauit, cùm ex ea filium illi promisit, in quo omnes gentes benedicendæ erant. Genes. 17.

37 Ex quo infertur non esse contra ius naturale, vt patruus, vel auunculus, neptim ex fratre, vel sorore ducat in vxorem, & consequenter non esse contra ius naturale, vt nepos ducat amitam, cùm nepos & amita, patruus & neptis sint in eodem gradu. Vnde etiam subinfertur, prohibitionem, quæ habetur in

Leuitico,

Leuitico, nequis amitam ducat, esse iudicalem, & non naturalem.

Nam licet Leuitici 18. aliquot impedimenta lege diuina iudiciali, aut ceremoniali introducta fuerint, quia tamen non erat naturalis, cessauit à Christo passo, ad quẽ vsq; durabat. 6. dist. §. fin. & cap. vnic. de purific. post part. & ita sub lege gratiæ non ligat, vt diuina, sed vt humana, renouata per sacros Canones. Deinde quia ratio naturalis ei inexistens, ob quam decebat eam statui, non erat tanta, vt sola citrá vllam constitutionem positiuam diuinam, vel humanam obligaret, ac proinde non constituebat ius naturale, ita eleganter & perdoctè præ reliquis. Martin. Nauarr. in repet. cap. adhæc not. 1. de præbend. idem in Enchirid. confessar. cap. 22. numero. 84. 38

Nec obstat text. in cap. literas. de restit. spoliat. quo probari videtur gradus Leuitici 18. expressos, diuina lege prohiberi: Quia ex gradibus ibi connumeratis, quidam iure naturæ prohibentur, vt suprà dixi, in quibus nulla dispensatio concedi potest. Quidam iure diuino veteris legis, quæ tamen adventu Christi cessauit, in quibus licet Romanus Pontifex dispensare possit, qui tamen in veteri diuina lege prohibebantur, non consueuit dispensare, nisi iustissima causa id suadeat. Sic text. in d. cap. literas est intelligendus, cùm dixit, in aliquot gradibus Papam non posse dispensare, in aliquot verò non consueuisse id agere, quamuis possit. Vnde prohibitio quæ diuinæ legi in d. cap. literas. tribuitur, ad legem diuinam veteris testamenri spectat. ita doctè Couar. d. §. 10. numer. 10.

Ex quibus satis manifestè & euidenter colligitur nõ 39

omnes gradum prohibitiones Leuitici 18. expressim factas esse iuris naturalis, vti docent & in specie tradunt S. Thom. 1. 2. q. 105. art. 4. Caiet. 22. q. 154. art. 9. Ioan. Roffens. in libello de matrim. Regis Angliæ. Alphons. à Castro. lib. 1. de potest. leg. pœnal. cap. vltim. latè & eleganter præ cæteris Martin. Nauar. in repet. d. cap. ad hæc. Robert. Bellarm. lib. 1. de matrim. sacram. cap. 27. Tom. 2. 5. controvers. gen. & Couar. d. §. 10. nu. 2.

Vnde Romanus Pontifex in aliquot gradibus Leuitici 18. contentis dispensare potest. Quibus accedit Concilium Trident. quod sess. 24. de sacram. matrim. c. 3. in hæc verba sanciuit. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendū, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant, & dirimant, Anathema sit.

40 Solet tamen Romanus Pontifex in his gradibus, iure diuino veteris legis, ( quæ tamen adventu Christi exspirauit, vt suprà dictum est ) prohibitis, non nisi causa pacis, vel belli extinguēdi, vel ad instantiam magnorum Principum dispensare. Quod magis necessarium est, magisq; Reipub. conveniens circà personas præcellentes & illustres, vt sunt Diuites, Comites, Principes ac Duces, quàm in popularibus, vt colligit. S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad secundùm. Couar. 4. decretal. de sponsalib. cap. 6. d. §. 9. num. 7.

Nam si Romanus Pontifex in gradibus etiam humana lege prohibitis sine causa rationabili dispensaret, ea dispensatio potius dissipatio censenda esset, teste D. Bernardo lib. 3. de considerat. ad Eugenium Papam. notant.

tant. Ioan. Andr. Abb. ac reliqui in cap. quia in tantùm de præbend. Abb. in cap. de multa eod. tit. de præbend. num. 20.

Et diſpenſatio à Romano Pontifice conceſſa contrà ius ſine cauſa, & ſi ſit contrà ius poſitiuum, animæ tuta non eſt, malè enim agit, qui diſpenſatione, ſine cauſa ſibi conceſſa, vtitur Caiet. 1.2.q.66.art.5. gloſ. communiter recepta. in d. cap. non eſt. de voto. Couar. d. §. 9. n. 8. 41

Eſt tamen hîc notandum, quod in impetranda diſpenſatione, vt liceat in gradu prohibito matrimonium contrahere, ſufficiat mentionem facere gradus remetioris à ſtipite in linea tranſverſa, quod probat Couarr. d. §. 10. num. 12. conſtitutione Clementis Sexti, quæ incipit. Nuper. quæ nondum typis excuſa eſt. & ad cap. quod dilectio. de conſanguinit. & affinit. quo probatur, in impetranda diſpenſatione neceſſarium eſſe vtriusque gradus mentionem, reſpondet, illum textum ex eo procedere, quod in ea provincia conſuetudino obtentum erat, diſpenſationes ad coniugia ita intelligendas eſſe, vt ſublato remotioris gradus impedimento, non ex hoc propinquioris eſſet ſublatum, quamuis ille gradus ad computationem conſanguinitatis nihil ageret, ex gloſ. Abb. & alijs in d. cap. quod dilectio. 42

Quin & Pius Quintus Pontifex Maximus ſtatuit. 20. die Menſis Auguſti Anno 1566. non eſſe in huiuſmodi diſpenſationibus neceſſariam propinquioris gradus mẽtionem, ac ſufficere remotiorem tantùm gradum exprimi, obtentis tamen ſuper propinquiore literis declaratorijs, nec poſſe priores literas notari ſubreptionis, aut obreptionis vitio, ſeu intentionis defectu, ex eo, quod in eis propinquioris gradus mentio facta non fuerit. ita refert.

Couar. iam citato loco. Hoc autem præmittendum non est, vt non tàm is, qui huiusmodi dispensationem concedit, quo ad Deum tutus sit, sed & is, qui ea vtitur, eodem modo absq; periculo animæ vitam agat, iusta & legitima causa dispensationis subsit.

43 Causam iustam dispensandi ad matrimonium contrahendum in gradibus iure humano & positiuo suprà dixi pacem & belli sopitionem, nec non instantiam magnorum Principum, personarum Illustrium & Præcellentium, vt Comitum, Nobilium & Diuitum.

44 Causa verò dispensationis in contracto coniugio esse potest scandalum, quod ex dissolutione iam contracti matrimonij sequeretur, nec non proles ex consanguinea suscepta. text. in cap. quia circà. de consanguin. & affinit. ne cogatur vir suscepta plole, ab eius consortio matrem filiorum expellere.

Quod locum habet in prole bona fide suscepta, & sic ignoranter. Nam proles mala fide suscepta non potest Principem rectâ iustitiâ mouere ad dispensandum, vt contrahentes in iàm contracto coniugio perseuerent, vel contrahant matrimonium. textum. & ibi Doct. in cap. cùm haberet. de eo qui dux. in matrimon. l. qui in prouincia. §. 1. ff. de ritu nupt. Quod si antè impetrationem dispensationis matrimonium scienter fuerit contractum, vt dispensatio teneat, necesse est, hoc in ipsa petitione exprimere. Couar. d. §. 10. numer. 13. ex his quæ in cap. postulasti. de rescript. notantur.

45 Quandò verò consanguinei scienter matrimonium ea intentione & Prano consilio contraxissent, vt cũ eis mitius in dispensatione agatur, atque impetretur facilius

cilius ob euitandum ſcandalum, huius conſilij & fraudis mentio exponenda eſt Romano Pontifici, aliâs diſpenſatio non tenet, etiamſi mentio matrimonij ſcienter contracti facta fuerit. ita poſt Martin. Nauar. in repet. cap. ſi quandò. de reſcript. colum. 14. Couar. d. loco. Vbi his addit gloſ. in d. cap. quia circà. quàm ibi dicit ſing. Abb. & ex ea notat diſpenſationem tacita veritate, vel obiecta falſitate, impetratam, eſſe ipſo iure nullam, ſi tamen id contingat circa ea, quæ Principem mouere poterant ad non concedendum, vel eum à facili conceſſione auertere, ex d. cap. poſtulaſti. cap fin. de fil. præſbyt. in 6.

Quibus omnibus addendum eſt Concilium Trident. quod ſeſſ. 24. in decretal. de reformat. matrimon. cap. 5. in hæc verba ſtatuit. Si quis intrà gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit.

Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolennitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubijciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit.

Si verò ſolennitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſteà ſubeſſe cognoſcatur, cuius illa probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis matrimonijs vel nulla omninò detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa & gratis. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter

ter magnos Principes, & ob publicam causam. hactenus Concil. Trident.

46 Hîc & illud obseruandum est, quod licet Romanus Pontifex potestatem habeat interpretandi & declarandi ius diuinum, ex qua declaratione constabit, ius illud ad casum non extendi, ex aliqua causa, dispensandi verò facultas ei competit nulla, nec aliqua causa id pati potest. S. Thom. quodlib. 4. art. 13. & quodlib. 9. art. 15. Syluest. verb. Papa quæst. 15. Couar. sæp. d. §. 9. num. 4. vbi plures alios Doct. allegat.

Ius enim diuinum ea continet, quæ ab ipso Deo determinata sunt non solùm in communi ratione iustitiæ, sed etiam quoad singulares actus, qua ratione dispensationem ab alio, quàm ab ipso Deo non recepit. S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. Couar. d. num. 4. Et ius naturale immutabile est. text. in princip. 5. dist. §. sed naturalia. instit. de iure nat. gent. & ciuil. quod humana lege declarari potest, tolli verò nequaquam. Ex quo sequitur vt circa ius diuinum aut naturale Romano Pontifici potestas interpretandi & declarandi competat & non dispensandi. cap. maiores. de Baptismo. & cap. per venerabilem. qui filij sint legit.

47 Quod & apertius probatur ex differentia verborum dispensare & interpretari. Is namq; ius interpretatur, qui illud ita explicat, vt ostendat apertè, an ius illud, id quod agitur, includat nec ne. l. fin. C. de legib. cap. cùm venissent. de iudic. l. scire leges. cum sibi proximis ff. de legib. Couar. d. §. 9 num. 2. vbi hoc declarat lege illa naturali. Non occides, inquit enim, quod lex illa per humanas leges sæpissimè ita explicatur, vt constet per eam homicidium ad defensionem commissum, minimè prohiberi.

beri. l. vt vim ff. de iustit. & iur. Nam naturalis ratio di-ctat, defensionem omnibus esse permissam. Sic etiam lex illa furtum non facies: ita intelligenda est, vt furtum non dicatur committere, qui fame coactus, victûs gratia alienum assumit. cap. si quis propter necessitatem. de furt. ita Couar. iam d. loco. Et licet præceptum iuris naturalis aliquandò videatur alteri præcepto iuris naturalis repugnare, verè tamen non repugnat, sed interpretatione acta, vnum alteri cedit, & generale restringitur per speciale, vti cernere est in prædicto præcepto iuris naturalis, Non occides, illud namq; restringitur per alterā eiusdem iuris legem, vim vi repellere licet: Cuius legis vi aggressorem interficere est permissum. Sic prædicta lex Decalogi. Furtum non facies, quam naturam esse ostēdit Iurisconsultus in l. 1. ff. de furt. limitanda est, vt furtū non faciat, qui saguntinā patiens, victus gratia alienum assumit. d. cap. si quis propter necessitatem. 48

Rato est: Quia ius naturæ, tempore necessitatis omnia facit communia. Dispensat verò circa ius, qui data legis obligatione ab ea priuatim aliquem eximit, vti in princip, huius capit. diximus. Exemplum huius ponit. Couar. citato loco. in cap. de multa. de præbend. iure namq; humano nobiles & literati duo beneficia curam animarum habentia obtinere prohibentur. 49

Verùm Romanus Pontifex aliquem nobilem, aut literatum ab hac iuris humani prohibitione eximere potest. ita Couar. vel exemplum sit prohibirio coniugalis contractus inter consobrinos. Nam & iure humano positiuo & ecclesiastico prohibentur consanguinei in linea collaterali intra quartum gradum matrimonia inter se contrahere vti supra num. 16. diximus. Verùm tamen

Romanus Pontifex ex causa consangeineos ab ista prohibitione eximere potest,& eis facultatem, matrimonium contrahendi concedere. Ex quibus satis constat Romanum Pontificem circa ius humanum & positiuum, non autem circa ius diuinum & naturale dispensare posse. Vnde infertur malè eos loqui, qui asserunt Papā circa ius diuinum dispensare posse: eorum tamen opinio procedere posset, si verbum dispensare ad declarationem vel interpretationem referatur.

50 Hoc loco libet & illam quæstionem breuiter attingere. An Sara verè Abrahæ soror fuerit. Nam si eius soror fuit, sequetur matrimonium in primo consanguinitatis gradu lineæ transversæ iure naturali non prohiberi, quod sentiunt quidam summi Theologi vt D. Thom. & Caiet. 2.2.q. 154. art. 9. & alij relati à Couar. sæpe. d. §. 10: num. 4. & 5. Fuisse autem eam Abrahæ sororem, probatur. Quia ipse Abraham eam suam sororem vocauit. Genes. 12. & 20.

51 Quod si igitur primus gradus in linea collaterali iure naturæ prohibitus esset, Abraham non accepisset in vxorem Saram sororem suam: Atqui eam duxit in vxorē. Ergò primus gradus collateralis iure naturæ prohibitus non est. Etenim Abraham virum sanctissimum contra naturæ ius matrimonium cum sorore contraxisse non est credibile. Nec Deus hanc Abrahæ & Saræ contra naturæ ius coniunctionem tulisset. Hæc quidem disputari possunt pro hac opinione, quam multi sequuntur, qui constanter asserunt, iure naturæ tantum prohiberi coniugium inter matrem & filium, patrem & filiam.

52 Verior tamen est sententia D. Augustini. lib. 16. de ciuit.

ciuit. Dei. cap. 12. & cap. 19. dicentis Saram non fuisse Abrahæ sororem, sed filiam fratris sui Aram, & sic neptim ex fratre, idem tenet Gratian. in princip. 35. q. 1. Nam qui maximè propinqui erant, solebant olim fratres & sorores appellari. Sic propter maximam & propinquam consanguinitatem consobrini fratres appellabantur teste S. Augustino lib. 15. de ciuit. Dei. cap. 16.

Deinde quod Abraham Saram sororem appellauit, hoc fecit ad detegendum coniugium, vt patet. Genes. 12. & 20. Quod idem postea fecit Isaac Genes. 26. interrogatus enim de vxore sua, ac timens propter illam occidi, dixit, soror mea est. Et quis crederet Abrahamum sine vlla necessitate duxisse propriam sororem, cùm propter commixtionem carnalem fratris cum sorore DEVS iusserit vtrumque coniugem simul necari Leuitici 20.

Quarè probabilior est sententia matrimonium iure naturæ in primo gradu lineæ transversæ probari, & sic inter fratrem & sororem. Et hæc sententia est D. Augustini d. libr. 15. de ciuit. Dei. cap. 16. & libr. 22. contra Faust. cap. 35 Palud. in 4. sentent. dist. 40. Florent. in tertia part. tit. 1. cap. decimo quarto. Ioan. Maior. in 4. sentent. dist. 40. q. 3. Abulens. Leuitici 18. Ambros. Cathar. lib. 5. contra Caiet. cap. d. matrimon. sacram. Couar. d. §. 10. num. 5. & Robert. Bellarm. lib. 1. de matrim. sacram. cap. 28.

Hæc eadem sententia probatur ex Arist. is enim lib. 2. Polit. cap. 2. absurdum esse dicit coniugium inter patrem & filiam, atque inter fratrem & sororem. Idem Plato lib. 8. de legibus, ex lege non scripta deducit.

Nec obstat si obijciatur. Filij Adæ cum sororibus suis matrimonia contraxerunt: Et tamen non legitur,

Deum cum ipsis dispensasse: Adhuc igitur non erit prohibitum iure naturæ coniugium cum sorore. Quia respondetur: Nulla fuisse opus dispensatione, quia coniugium fratris cum sorore iure naturę prohibetur, excepta summa illa necessitate generis humani propagandi. Bellarm. iam d. cap. 28. vbi & aliter respondet.

54 Cæterum primum gradum in recta ascendentium & descendentium linea iure naturæ prohiberi est extra controversiam. licet S. Thom. citato loco. & in 3. sent. dist. 4. q. 1. art. 3. vbi Bonauent. & Richard. q. 2. Alexa. de Hales. 2. part. q. 169. Roffens. in tract. de matrim. Regis Angliæ. fol. 3. senserint secundum gradum in linea recta ascendentium & descendentium iure naturali non prohiberi, cui opinioni suffragantur, dicũt enim iure naturæ tantum prohiberi coniugium inter matrem & filium, patrem & filiam.

Sed Goffr. putat ascendentes post quartum gradũ posse cum descentibus, & è contra, contrahere, ob generalitatem. cap. non debet. de consang. & affinit. quod cùm indistinctè loquatur, nos non debeamus distinguere. Verùm contraria sententia verior est scilicet, in ascendentibus & descendentibus in infinitũ iure naturali matrimonia prohiberi. Et hæc sententia est Scoti, Durandi, Paludani. in 4. sentent. dist. 40. Florent. 3. part. tit. 1. cap. 14. §. 2. & Syluest. in verb. matrimonium. 8. q. 6. col. 4.

Probatur hæc sententia. l. fin. ff. de ritu nupt. vbi Iurisconsultus scribit, iure gentium, quod Couar. d. §. 10. num. 4. naturale intelligit, incestum committere eum, qui aliquam ex ascendentibus in vxorem duxerit. Et hãc opinionem. Couar. d. num. 4. tutiorem esse existimat.

Quæ

Quæ præter iam dicta secundò probari potest: Quia si non licet filiæ contrahere cum patre propter reuerentiam ei debitum, multò minus licet cum alio, vel proauo, aut abauo: Nam ei debetur maior reuerentia, eo quod est antiquior, ita vt si Adam viueret, ei summa reuerentia deberetur. Vnde auum ipse pater debet reuereri, cui & subijcitur, multò ergò magis filia.

Hinc & vulgo Pater, quamdiu auus viuit, non dicitur Dominus, sed auus; Idem dicitur de filio respectu auiæ, & sic deinceps de nepotibus, ita Syluest. d. loco. Tertio probatur. Quia ius ciuile indistinctè prohibet inter tales matrimonium. §. Ergo omnes instit. de nupt. l. nuptiæ consistere. ff. de ritu nupt.

Et hoc quidem in infinitum, adeò vt si Adam hodiè viueret non reperiret vxorem. glos. in d. l. nuptiæ consistere. Hoc ius cùm non reperiatur correctum, & fundatum sit super maxima honestate, non debemus per generalem dispositionem. d. cap. non debet. dicere contrarium. arg. cap. 2. de despons. impub. Syluest. d. loco. vbi subiungit quod d. cap. non debet. nec in specie, neq; implicitè loquatur de linea recta ascendentium & descẽdentium, quæ secundùm omnes subijcitur iuri naturali: loquitur ergò solùm de linea collaterali, & ijs gradibus, quorum dispositio subiacet iuri positiuo.

Deniq; notandum est, omnes gradus iure naturæ prohibitos, esse à Deo dispensabiles: Nullus enim gradus est, in quo coniugium ita sit intrinsecè malum, vt repugnet illud fieri benè. Quod ex eo patet, quia nullus gradus tollit finem matrimonij primarium vel secundariũ, licet aliquo modo impediat. Nam ex coniugio etiam filij cum matre nasci possunt liberi & educari. Bellarm. d. 55

cap. 28. & Caiet. suprà allegat. 22. q. 154. art. 9. scribit coniugium in primo gradu lineæ rectæ, ab auctore naturæ esse dispensabile.

## Ex Capite Decimo quarto summarium.

1 *Criminum quædem impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum, & quæ sint illa.*

2 *Crimina quæ impediunt matrimonium contrahi, & diriment contractum.*

3 *Bonum aliquod subsecutum, præcedens delictum, & eius pœnam non abluit.*

4 *Homicidium altero coniuge tantum machinante factum non dirimit matrimonium, nisi adulterium interveniat.*

5 *Homicidium non spe alterius coniugem ducendi, sed alio fine perpetratum, matrimonium non dirimit.*

6 *Adulterium absq; actuali homicidio matrimonium non dirimit.*

7 *Verba sunt intelligenda cum effectu, & quomodo affectus sine effectu puniatur, ibid.*

8 *Impedimentum criminis iure positiuo & Ecclesiastico est inductum.*

9 *Ratio huius impedimenti quæ.*

10 *Matrimonium primum non verum, quod putabatur verum, non inducit hoc impedimentum.*

11 *Sola datio fidei de contrahendo, & solus contractus absque adulterio non inducit hoc impedimentum.*

12 *Vt impedimentum adulterij dirimat matrimonium requiritur, vt vterq; sciat impedimentum.*

13 *Vt matrimonium inter ignorantem & scientem impedimentum valere incipiat, quid requiratur.*

14 *Fidem dans de contrahendo alteri secundæ sine copula, viuente vxore prima, & ea deinde mortua, ducens tertiam, qua viuente cognoscat secundam, an possit mortua tertia, ducere secundam.*

## CAPVT DECIMVM QVARTVM.

QVANDOQVIDEM supra capite. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. obiter egerim de nouem impedimentis matrimonium dirimentibus, non omninò ab instituto alienum erit, reliqua tria impedimenta matrimonium dirimentia perstringere, quæ sunt, crimen, ordo & ligamen.

1 Et quod ad criminis impedimentum attinet, sciendum in primis, quod criminum quædam impediant matrimonium contrahendum, sed non dirimant iam contractum, vt sunt incestus. cap. 1. & 2. & cap. transmissæ, de eo qui cogno. consang. vx. suæ. vxoricidium. c. admonere. 33. q. 2. Raptus sponsæ alterius. c. statutum. 27. q. 2. solẽnis pœnitentia. c. de his. & c. antiqui. 33. q. 2. Et si quis insidiando matrimonio proprium filiũ de fonte sacro susceperit, vt possit priuare vxorem, vel vxor virum debito coniugali & copia sui. c. de eo. 30 q. 1. Item homicidium presbyteri. c. qui presbyterũ. de pœnit. & remiss. Deniq; matrim. scienter cum moniali contractũ. c. hi ergo qui 27. q. 1. Ista enim omnia crimina matrimonium contrahendum impediunt, sed non dirimunt contractum. glo. d. c. hi ergo qui & glos. d. c. Qui presbyterum. quæ de his versus tradunt, vt videre est.

Imò

Imò si sint adolescentes & timeatur de eorum incontinentia, Ecclesia debet eis dare licentiam contrahēdi. d. cap. 1. & cap. ex literis, de eo qui cogn. consang. vxor suæ. & c. in adolescentia. 33. q. 2.

2 Sunt autem duo potissimum crimina, quæ nō solùm impediunt matrimonium contrahendum, sed etiā dirimunt iam contractum, primum est occisio coniugis alicuius, quò contrahat cum eius thori consorte. Alterum est adulteriū scienter cum coniuge alterius, & contractus matrimonij vel datio fidei de contrahendo, ad quæ illa tria, scilicet adulterium cum homicidio, adulterium cum fide data de contrahendo, & cōtractus de præsenti cum secundo coniuge, viuente primo, relata à S. Thom. communiter recepto. in 4. sent. dist. 32. q. 2. art. 2. & dist. 35. & dist. 39. reducuntur.

Primum crimen esse dixi homicidium coniugis alicuius, quò contrahat cum eius thori consorte, quod factum vtroq; machinante, perpetuò impedit, etiam si alter infidelis esset, & ad eius conuersationem procurandam patratum fuisset. cap. laudabilem. de convers. infid.

3 Non enim bonum aliquod subsecutum, pręcedens delictum & eius pœnam abluit. c. quod ait. & quæ ibi not. dist. 14. & c. non magnoperè. ne Cleri. vel Monach. & c. si dicat. 33. q. 5. & c. non est putanda. 1. q. 1. & c. ne quis arbitretur. 22. q 2. & cap. super eo, de vsur.

4 Homicidium tamen factum altero tantum machinante, non sufficit, nisi adulterium interveniat. Io. And. & Panor. in cap. super hoc. de eo qui dux. in matrim.

5 Dictum est, (quò contrahat) quia homicidium alio fine factum, puta in bello, vel casu, aut odio vel inimicitia, non sufficit. d. cap. laudabilem. & ibi Host. idem in

d. cap.

d. cap. ſuper hoc. neq; ratihabitio homicidij ſuo nomine facti, quamuis ſufficeret iuſſio vel conſilium ſecundũ gloſ. receptas in c. ſi quis viuente. 31. q. 1. & in d. cap. laudabilem. Martin. Nauar. in Enchirid. cap. 22. num. 46.

6 Præterea, ſi homicidium non intervenit actu, non ſufficit ſolum adulterium, ad dirimendum matrimonium. text. in cap. ſignificaſti. de eo qui dux. in matrim. Ioan. Andr. in d. cap. ſuper hoc. Ex quo conſequitur ſolam machinationem ſine effectu non ſufficere. Nec obſtat ſi obijciatur, legem de machinatione tantùm, non autem de effectu loqui. l. proſpexit. ff. qui & à quib.

7 Ideò ſufficere ſolam machinationem. Quia reſpõdetur, verba eſſe intelligenda cum effectu. d. c. ſi quis viuente. cap. relatum. de Cleric. non reſid. cap. fin. de ſponſalib. l. 1. § hæc autem. ff. quod quisq; iur. Etenim hoc impedimentum eſt iuris poſitiui, quamobrem non debet ita accipi, vt reſtringatur facultas matrimoniũ contrahendi contrà diſpoſitionem iuris diuini. arg. cap. quædam. in fin. de teſtib. Abb. d. cap. ſuper hoc.

Punitur tamen affectus licet non ſequatur effectus: Nam ſi machinationem adhibitam in mortem coniugis effectus conſecutus non fuerit, ſi inſidiator alteri ſupervixerit, perpetuò ſine ſpe coniugij deſtitutus ad ſecundas nuptias nunquam aſpirare poterit. cap. 1. vbi gloſ. verb. inſidiatrix. de diuort. Hoc tamen ita intelligendum eſt, vt machinatio ſine effectu impediat matrimonium cõtrahendum, non tam dirimat contractum. per d. gloſam in d. cap. 1. & per ea quæ paulò antè dicta ſunt.

8 Vnde non obſtat exemplum Dauidis, cum hoc impedimentum non ſit iuris diuini, ſed iuris Eccleſiaſtici & poſitiui, vt modo dictum. Nam in veteri teſtamento

multa permittebantur, quæ in noua lege, quæ perfectior est optimo iure interdicuntur, vt polygamia, libellus repudij, & alia id genus multa Bellarm. lib. 1. de Matrimo. sacram. cap. 22.

9 Ratio huius impedimenti est, ne alter coniugum spe contrahendi cum alio, machinetur in partem proprij coniugis. Nam quid crudelius in coniugio excogitari potest, quàm ut socius diuinæ & humanæ societatis socio fidem non solùm non seruet, sed in super etiam eius vitæ insidietur, cum quo summum amicitiæ gradũ colere debuisset? Quod inpedimentum si ab Ecclesia inductum non esset, quid quæso aliud esset, quàm ut alter coniugum ex suo delicto lucrum & commodum reportaret, qđ fieri non debet, tex. in l. ita demũ. ff. d recept arbit. & in L. si duo. ff. qui cautio. text. in L. relegatorum. §. fin. ff. de interdict. & releg. & in L. siue hæreditaria. ff. d. negot. gest. & L. non debet in fin. ff. de dolo malo. nec de linquens melioris conditionis esse debet quàm sapiens. tex. in l. 3. §. 2. ff. de donat. inter vir. & vxor. & in l. Itaq; fullo. §. sed nemo. ff. de furt. text. in l. Seruus. ff. quod vi aut clam. text. in cap. eum qui. depræhen. in 6.

Quare potuit Ecclesia ratione delicti inducere nouum impedimentum habile ad impediendum & dirimendum Matrimonium posteà contractum. Hinc cõcilium Tridentin. sess. 34. de sacram. Matrim. c. 4. Anathemate damnat eos, qui audent dicere, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse.

Alterum crimen supra esse dixi, adulterium scienter cum coniuge alterius, & contractum Matrimonij,

vel

vel dationem fidei de contrahendo. Dictum est (adulterium) nam si primum Matrimonium non erat verum & legitimum, licet putabatur esse verum, nõ præstat impedimentum secundo Matrimonio. cap. significauit. de eo qui duxit in Matrim. impedit tamen si sit verum, etsi non sit consummatum, & solutum quo ad thorum, vel cohabitationem d. cap. significasti. & cap. ex literarum. de Eo qui dux in Matrim. 10.

Dictum præterea (adulterium) quia sola datio fidei de contrahendo, & solus contractus absq; adulterio non sufficit d. cap. significauit. & cap. Illud vero. 31. q. 1. Dictum insuper (scienter) nam vt huiusmodi Matrimonium dirimatur, requiritur, vt vterq; sciat impedimentum, id est quilibet eorum sciat reliquum habere coniugem: quia si vterq; probabiliter ignorat, possent Matrimonium contrahere, postquam mortuus fuerit, qui impediebat. Quod si alter tantùm ignoret, in eius arbitrio est sublato impedimento denuò Matrimonium contrahere, vel non. text. in cap. 1. de Eo qui dux. in Matrim. donec sciens cum tertia contraxerit, & modo ignorans non rescierit antè mortem impedientis, aut post quam rescierit, non habuerit copulam, ita Matr. Nauar. d. loco. Vt autẽ matrimonium inter ignorantem impedimentum, & scientem valere incipiat, non sufficit cessatio impedimenti, & consensus nouus scientis; sed necesse etiam est ignorantem denuò in illud consentire, postquam ei innotuerit intervenisse impedimentum, quo eiusmodi matrimonium non valuit, fieriq; ipsi iustam libertatem renuendi, si volet, secundùm Innocent. in d. cap. 1. in fin. de eo qui dux. in matrim. quem refert. Nauar. d. cap. 22. nu. 47. vbi subiungit sufficere, quoties 11. 12. 13.

non expedit ignorantem ſpeciatim noſſe impedimentum, gratiosè dicere, ſuſpicor te non eſſe meum maritū aut vxorem meam, aliqua de cauſa, ideoq; rogo te officiosè tranquillitatis meæ conſcientiæ, & conſolationis ergò, vt ſi & quatenus opus erit, denuò nos ipſos pro cōiugib. habeamus: quod deducit ex Caiat. 1. Tom. opuſc. tract. 12. q. 2. & in ſumma. verb. matrimonium. pag. 9.

14 Sed quæſtionis eſt, ſi quis viuente vxore, fidem dederit alteri ſecundæ ſine copula tamen, & deinde mortua vxore, accipiat tertiam, qua viuente, cognoſcat ſecundam, cui primò fidem dederat de contrahendo, an poſſit mortua tertia, contrahere cum ſecunda.

Ad hanc quæſtionem reſpondendum eſt affirmativè, ſcilicet quod non obſtante adulterio ſolo immediatè remanente, mortua tertia, poſſit cum ſecunda contrahere. d. cap. ſignificaſti. Ratio eſt: Quia iura hoc impedimentum induxerūt, ne ſpe contrahēdi cum alio, ſequeretur machinatio in necem alterius, vti ſupra dixi, quod hic ceſſat, ita tenet poſt Ioan. de Lignano. in cap. ſi quis. de eo qui dux. in matrim. Syluest. verb. matrimonium. 8. q. 9 verſ. Quintum. Et hæc de impedimento criminis dixiſſe ſit ſatis. Nunc ad ordinis impedimentum progrediamur.

## Ex Capite Decimo quinto ſummarium.

1 *Ordinum quidem minores, & qui ſint illi.*

2 *Ordines minores nec impediunt, nec dirimunt matrimonium.*

3 *In minorib. ordinibus conſtitutus contrahens matrimonium beneficia Eccleſiaſtica amittit, & quæ ſit ratio. & num. 4.*

5 *Ordinum*

5 *Ordinum quidam maiores, qui impediunt matrimoniũ contrahendum & contractum dirimunt.*

6 *Ordinibus maioribus votum ſolenne caſtitatis eſt annexum.*

7 *Impedimentum ſacrorum ordinum iure humano & Eccleſiaſtico eſt inſtitutum & nu. 8.*

9 *Ratio elegans, cur ſacerdotibus alijsq; ſacratis hominibus coniugia prohibeantur.*

10 *Papa in voto caſtitatis ſacris ordinibus annexo diſpenſare poteſt.*

11 *Papa votum ſolenne continentiæ Monachorum, an propria diſpenſatione remittere queat.*

12 *Græci ſacerdotes, an ductis vxoribus antè ſuſceptos ſacros ordines vti poſsint. & an poſt ſacros ordines vxores ducere queant. & num. 14.*

13 *Continentia res eſt magis voti, quàm præcepti.*

15 *Coniugatus inſcia vel invita vxore ſacrum ordinem ſuſcipiens in Eccleſia occidentali coniugio vti non poteſt.*

16 *Coniugatus an poſsit ex conſenſu vxoris ſacrum ordinem recipere.*

## CAPVT DECIMVM QVINTVM.

SCIENDVM inprimis, ordinum quoſdam eſſe minores, vt ordinem Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, & Acolytorũ, & iſti non impediunt matrimonium contrahendum, nec dirimunt contractum, ſed in talibus conſtituti licitè & abſq; peccato matrimonium contrahere poſſunt. c. ſi qui verò. & c. ſeriatim. diſt. 32. c. 1. 2. & 3. de Cler. coniug.

Imò constitutus in his minoribus ordinibus & cõtrahens cum vnica & Virgine, retinet priuilegium clericale, si tonsuram & vestes clericales deferat, cap. vnic. de cleric. coniug. lib. 6. & ibi Doct. & Siluest. verb. Matrimonium. d. q. 12. idem in verb. clericus 1. §. 6. Ecclesiastica tamen beneficia amittit. text. in d. cap. 1. & 3. ita vt ipso iure vacent omninò per contractum coniugalem etiam ante carnalem copulam vt not. glos. communiter recepta in d. cap. 1. Rota Noua. 26.

4 Ratio est: Quia ex beneficio Ecclesiastico tenetur quis ad ordinis executionem, sed hanc etiam quo ad ordinem non sacrum impedit Matrimonium secundùm statum occidentalis Ecclesiæ propter maiorem honestatem. Siluest. d. q. 12. Nec obstat quod D. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo rescripsit, Clericos extra sacros ordines constitutos, qui se continere non possunt, & vxores consecuti sunt, stipendia sua nihilominus accipere debere. d. c. si qui verò. &c. quia tua fraternitas. §. si qui verò. 12 q. 1. Quia respondetur quod rescriptum D. Gregorij intelligi debeat, de pauperibus clericis, quibus non ex debito, sed ex eleemosyna est benefaciendũ vel ubi timetur scandalum.

Deinde responderi potest, quod illud ita dispositũ fuerat propter gentem Anglorum, quæ nouè ad Christianismum erat conuersa, vt tradit Innocent. d. cap. 1. de cleric. coniug. qui subijcit hodiè d cap. 1. seruari, non dictos canones in contrarium allatos.

Vnde hodie per contractum Matrimonium vacãt ipso iure beneficia clerici coniugati, ita ut non sit opus renunciatione, vel priuatione Abb. in d. cap. 1. nu. 4. & 5. quin etiam ammittit regressus, accessus atq; alia quæ

libet iura ad beneficium Ecclesiasticum ipsi contrahenti competentia glos. & communis in d. cap. vnic. d. clerici coniug. in 6. vers. clericalis, quam præter alias comprobat Matrin. Nauar. cap. si quando. 5. exceptione de rescript. Ordinum alij sunt maiores, nempe subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus, & isti impediunt 5 Matrimonium contrahendum & contractum dirimũt.

Ratio est: Quia his ordinibus votum solenne castitatis est annexum, quod impedit & dirimit Matrimoniũ 6 d. cap. 1. & c. si quis eorum. & c. eracbescant. 32. dist. cap. vnic. de voto. in 6. Imò irregularis est, qui constitutus in his ordinibus Matrimonium contrahit. cap. 1. & 2. qui cleri. vel vouent. ipsoq; iure excommunicatus Clem. vnic. de consangui & affinit.

Ad hoc verò votum castitatis obligatur suscipiens illos ordines, etsi non intendat illud seruare, vel ad id sese obligare. Palud. in 4. sent. dist. 37. & Syluest. d. q. 12. Nec obstat quod nemo cogatur uouere. c. integritas. 32. q. 1. Quia Ecclesia neminem ad ordines sacros cogit sed solùm statuit, vt eos suscipiens, sit ad Matrimonium contrahendum inhabilis, vnde obligatur ad continentiam ex statuto Ecclesiæ, non voto suo.

Ex quo infertur hoc impedimentum sacrorum or- 7 dinum esse Iure humano & Pntificio seu Ecclesiastico, & non diuino institutum S. Thom. 22. q. 88. art. 11. vbi disertè docet votum continentiæ, esse annexum ordinibus sacris ex solo Ecclesiæ decreto, ac proinde dispensabile esse, quẽ sequitur Caietan. in opusc. Tõ. 2. tract. 27. & Dominc. de Soto lib. 7. de Iustit. & Iur. q. 6. art. 2. Vbi docet hoc decretũ, quo votũ est annexum ordinib9 nõ qdem ꝓpriè diuinũ esse, sed tamẽ Apostolicũ & in tota

Ecclesia

Ecclesia à temporibus Apostolorum longo tempore esse seruatum.

Sed & coniugium non obesse sacerdotio ex diuina institutione tradit Alfonsus à castro de iust. hæreticor. punit. hæres. 4. quem refert & sequitur Couar. lib. 4. decretar. de sponsalib. 2. part. cap. 6. §. 3. nu. 1.

Sunt tamen qui existiment hoc impedimentum Iure diuino fuisse institutum, & proinde indispensabile esse, inter quos præcipui sunt Ioan. Maior, qui hoc probare conatur in 4. sent. dist. 24. q. 2. Francisc. Torrens. lib. 2. de dignat. charact. & Iodoc. Clichtouæus lib. de continentia sacerdot. cap. 4. & sequentib. quos egregiè confutat. Bellarmin. lib. 1. de Claric. cap. 18. 1. Tom. op. 5. controuers. gener.

8 Verùm quod continentiæ seu castitatis votũ annexum sit sacris ordinibus, ita ut clerici nec ducere vxores, nec anteà ductis vti possint post ordinationem, positiuo quidem Iure & Ecclesiastico, sed antiquissimo & æquissimo, & quod nullo modo expediat, vt hoc tempore relaxetur probat Bellarm. d. lib. 1. de Clericis cap. 19. & quidem primò hoc probat sacris scripturis noui & veteris testamenti. Secundò testimonijs Conciliorum antiquorum. Tertiò testimonijs veterum pontificum. Quartò testimonijs veterum Imperatorum, quæ extant in L. Eum qui & sequentib. C. de Episcop. & cleric. & in Auth. de Monachis. Quintò testimonijs veterum patrum tùm Græcorum, tùm Latinorum. Vltimò eleganti probat ratione, cur sacerdotibus, alijsq; sacratis hominibus coniugia prohibeantur.

9 Dicit enim coniugium vehementer impedire Ecclesiastica munera, vnde æquum fuit, ut sacerdot. alijsq; sacratis

ſacratis hominibus coniugia prohiberentur: Nam Ecclesiaſticorum munera ſunt ſacrificare, orare, docere, exhortari, ſacramenta miniſtrare, curam pauperum gerere & ſimilia, quæ ritè exerceri non poſſunt. ut Apoſtol⁹ ad Titum cap. 1. docet, niſi ſacerdos ſit hoſpitalis, benign⁹, ſobrius, iuſtus, ſanctus, continens, doctus &c. Iam verò Matrimonium impedit in primis, ut Hieronymus dicit lib. 1. in Iouinianũ munus ſacrificandi, quia ſumma quædam puritas & ſanctitas in eo requiritur, ut Chriſoſtom⁹ explicat lib. 6. de ſacerdotio, in actu verò coniugij negari non poteſt, quin admixta ſit quædam impuritas, & pollutio, non quæ peccatum ſit, ſed quæ ex peccato tamen nata ſit.

Deinde impedit ſtudium orationis, & lectionis, in quo ſacerdos aſſiduè verſari debet. Oratio enim requirit mentem eleuatam, purgatam & tranquillam: actus verò coniugij, ut B. Auguſtinus docet lib. 14. de ciuitat. Dei cap. 16. maximè hebetat aciem mentis, & deprimit ad inferiora, & perturbat, & animam ipſam carnalem quodammodo facit. Tertio impedit efficaciam prædicationis, ut Ambroſius docet lib. 1. de officijs capite vltimo, quomodo enim efficaciter exhortabitur viduas, & virgines, qui liberis perpetuò operam dat?

Quartò, impedit curam paſtoralem: nam qui vxorẽ & liberos habet, de illis ſemp̃ cogitat, & affectus, quo oues ſuas ꝓſequi deberet, in vxore & filijs tot⁹ conſumitur, & tamen (vt Ambroſius docet lib. 1. d. officijs c. 7.) plus diligẽdi eſſent filij ſpirituales, quàm carnales. Quintò impedit curam pauperum, & illam hoſpitalitatem, & benignitatem, quàm Apoſtolus tantoperè commendat: nam qui vxorem & liberos habet, debet eis theſaurizare

& raró inueniuntur coniugati, qui superfluum habeant. Addo, quod cùm clericus non possit filijs relinquere beneficia, & tamen omnis Pater cupiat benè prospectum filijs suis, cogerentur esse auarissimi, & vendere sacramēta. Sextò, impediet Sacramentorum administrationem: tunc enim vix distinguerentur clerici à Laicis, & esset sicut populus, sic sacerdos. Quod experientia testatur nam tempore Gregorij VII. cùm in Germania cæpissent sacerdotes vxores ducere, tantus contemptus Sacramentorum sequutus est, ut passim Laici Sacramenta administrarent, ut Ioannes Nauclerus, & alij referunt. Itaq; meritò D. Epiphanius hæresi 59. dicit, propter honorem sacerdotij necessariam esse continentiam. ita eruditè & elegãtur Bellarm. d. cap. 19. quæ ex illo sumere placuit.

His vltimò accedat, Concilium Tridentinum, qđ sess. 24. de sacram. Matrim. c. 9. Anathema indixit his, q ausi fuerunt asseruare Clericos in sacris ordinibus constitutos non obstante lege Ecclesiastica, Matrimonium contrahere posse, aut contractum validum esse.

10. Cum ergò ex supradictis constet votum castitatis sacris ordinib⁹ Iure humano, positiuo & Ecclesiastico esse annexũ, consequitur Papã circa illud dispensare posse.

11. Verùm hîc maior oritur dubitatio, An Papa ꝓpria despensatione votum continentiæ seu castitatis Monachorum remittere & tollere possit. D. Thom. d. 2. 2. q. 88 art. 11. quem refert & sequitur Syluest. verb. votum 4. §. 5 tenet in hac quæstione partem negantem, nempe Papã nõ posse ꝓpria dispensatione votũ solenne continentiæ Monachorum tollere, ex authoritate cap. cùm ad monasterium. de statu Monachor. in fin. Vbi Papa palã ꝓfitetur, non posse ipsum voti obligationem tollere, dum

dixit

dixit: Abdicatio proprietatis, & cuſtodia caſtitatis, adeò annexa & regulæ Monachali, vt contra eam nec ſumm⁹ Pontifex poſſit licentiam indulgere. Idem tenet gloſ. in c. ſunt quidam 25. q. 1. & gloſ. in d. cap. cùm ad monaſterium. Et pro hoc opinione facere poteſt ratio.

Quia obligatio voti ſolennis, quo quis ſe ipſum tradidit religioni, eſt Iuris diuini, ſed ſummus Pontifex propria deſpenſatione Iuri diuino nihil derogare poteſt, ut ſupra cap. 13. nu. 26. dixi.

Ergo ſummus Pontifex votum caſtitatis Monachorum ſua diſpenſatione remittere vel tollere non poteſt.

Huic Diui Thomæ opinioni ſubſcribit Dominc. de Soto lib. 8. de iuſtit. & iur. q. 4. art. 2. vbi eam optimè defendit.

Contrariam ſententiam, & quidem affirmantem hac in quæſtione tenent Innocent. Ioan. Andr. & reliqui in d. cap. cùm ad monaſterium. ubi Abb. 3. col. Socin. conſil. 13. num. 19. vol. 1. Couar. in releƈt. cap. 2. de Teſtament. num. 10. & 11. ſcilicet, poſſe Papam Monachum á voto continentiæ propria diſpenſatione eximere. Hanc opinionem communem aſſerunt præcitati Doƈtores Felin in d. cap. ſi quando. de reſcript. colum. 3. quam etiam Theologi ſequuntur Caiet. 22. q. 88. art. 11. Ioan Maior in 4. ſent. diſt. 38. q. 14. & ibi Durand. q. 2 Paludan. q. 4. art. 4. concluſion. 11. quin. & ipſe S. Thom. in diſt. 58. q. 1. art. 4. hanc partem ſequitur, & pro ea plures rationes adducit.

Ratio huius ſententiæ eſt : Quia in omni voto excepta cenſetur authoritas Romani Pontificis,

cap.1.cap.debitores.cap. venientes. de Iureiur. glos. vbi latè Felin.in cap.constitut⁹.de rescript.Abb. in cap.quãto.de Iureiur.post glos.ibi Thom.22.q. 89. art. pen.Ergo poterit Roman⁹ Pontifex si viderit Reipub.expedire,aut animarum saluti,voti obligationem, quoad continentiam remittere.Couar. d. loco nu.10. Ex quo infertur, qđ Papa similiter obligationem voti quo ad paupertatẽ ꝓpria dispensatione tollere possit.Couar.de nu.10. Nec obstant verba in d. cap.Cum admonasterium ꝓparte negatiua adducta.Quia respondetur primò,ea ꝓcedere manente ipso voto. Nam Papa non posset Monacho indulgere,ut existens Monachus vxorem duceret, cùm repugnet Monasticæ ꝓfessioni & regulæ,sed posset eum eximere à voto & religione,id est,ex Monacho facere non Monachum,vt sic exemptus vxorem ducere possit, & ꝓprium habere patrimonium & testari &c. Respondetur, Verba illa intelligi posse ex modestia Romani Pontificis ad conuincendum illum Abbatem,ne existimaret se ipsum Monachis licentiam concede posse adversus votũ pauptatis.ita Cou.d.loco nu.11.Nec deniq; obstat argumentum ꝓ prima opinione adductum,scilicet obligatio voti solennis,est Iuris diuini &c.Nam respondetur,quod illud argumentum non ꝓcedat. Quia hæc obligatio ꝓvenit ex voluntate humana,licet ex iure diuino sit executioni tradenda,actus verò humani Principibus subijciuntur.Vnde obligatio ꝑ Ecclesiæ Principem tolli potest,ita pulchrè vt omnia Couar.citato loco. Quia verò nuptiæ terram replent, castitas autem seu virginitas Paradisum c. nuptiæ.32. q. 1.& non reperiatur in homine magis bonum,quàm castitas,non facilè Papa,nisi exmaxima causa & quoties expedit Reipub,vel animarum saluti circa votum castitatis dispensat.

Sed

Sed hîc queritur, An Græci sacerdotes ductis Vxorib⁹ antè susceptos sacros ordines, rectè in foro conscientiæ vtuntur. Et videtur quod non. Quia Græci sacerdotes sunt Christiani, & sic summo Pontifici subiecti. Omnes autem subditi ligantur legibus & constitutionibus positiuis summi Pontificis, & maximè generalis Cōcilij. Vnde Græci sacerdotes sine peccato vxores retinere non possunt. Verùm in hac quæstione contrarium est asserendum scilicet.

Græcos sacerdotes sine peccato vxores retinere ex hac ratione. Quia summus Pontifex sciuit Græcos nō recepisse canones, quibus cauetur, vt clerici in sacris constituti ab vxoribus abstineant, ut dicitur in c. Nicæna synodus. 31. dist. sed tacendo per longa tempora mores eorum approbauit: ideò nec peccant, nec puniendi sunt, licet vxores habeant. Deinde, quia continentia est res, 13 quæ suaderi, & non imperari potest, & quæ magis est voti, quàm præcepti. vt ait S. Ambrosius relatus in d. c. integritas 32, q. 1. non potuit Papa etiam cum maiori parte Concilij sacerdotibus Græcis contradicentibus legem continentiæ indicere, Abb. in cap. cùm olim. nu. 3. & 4. de cleric. coniug.

Sed quamuis Græci sacerdotes contracto coniugio 14 antè sacrum susceptum ordinem licitè vtantur, attamen post sacrum ordinem contrahere non possunt d. cap. cū olim. & c. de Syracusanæ 28. dist. cap. vt clericorum ubi glos. de vita & honest. cleric. & d. c. si qs eorum. Vbi bona glos. dist. 32 Vnde intelligendus est text. in c. aliter 31. dist. dum dicit, quod orientales Clerici in sacris Matrimonio copulantur, id est, vtuntur copulato. ita glos. ibi & in cap. quęsitum, de pœnit. & remiss.

15 His Addendum eſt, quod coniugatus, qui ſacrum ordinem vxore inſcia vel inuita ſuſceperit, uti coniugio non poſſit in Eccleſia occidentali. d. cap. quæſitum. Imò irregularis eſt. text. in extrauag. Antiquæ. de voto. Nec exigere poteſt coniugale debitum ab vxore, reddere tamen tenetur vxore debitum coniugale, notant omnes in d. cap. 2. de cleric. coniug. text. ad id in cap. quidam. 16 de conuerſ. coniug. Ex licentia tamen & conſenſu vxoris poteſt maritus ſacris ordinibus initiari, ipſa tamen ſi iuuenis eſt, aut ſuſpecta circa coninentiam, compellitur religionem profiteri. Si vero ſuſpecta non eſt, nec iuuenis ſatis eſt, quòd extra religionem voueat continentiã, cap. coniugatus. de conuerſ. coniug. Vbi Abb. idem Abb in cap. 1. eod. tit. Sylueſt. in verb. Matrimonium 8. impedimento 12. & quæſt. 12. Couar. 4. decretat. de ſponſalib. 2. part. cap. 6. d. §. 3. nu. 2. & 3, Et tantum de hoc impedimento.

## Ex Capite Decimo ſexto ſummarium.

1 *Ligamen impedimentum impediens Matrimonium contrahendum & dirimens contractum.*

2 *Sanctis Patriarchis plures vxores habere, qua ratione licuerit.*

3 *Polygamia repugnat inſtitutioni Matrimonij, vnde à Chriſto reprobata & ſublata eſt.*

4 *Contrahens ſponſalia cum aliqua de futuro, non debet contrahere cum alia.*

5 *Contrahens ſucceſſiuè Matrimonium cum duabus, tenet Matrimonium cum prima contractum.*

6 *Sponſalia de futuro per copulam carnalẽ hodie non trãſeunt in Matrimonium.*

7. Clã.

7 *Clandestinum Matrimonium hodie cum duabus successiuè contrahens, nihil agit.*

8 *Clandestinum Matrimonium quod dicatur.*

9 *Maritus vel vxor Matrimonium secundum contrahere nequeunt.*

10 *Vxor tenetur absentem Virum omninò exspectare.*

11 *Fama de morte mariti, an sufficiat, vt vxor aliud Matrimonium contrahere queat. & nu. 27.*

12 *Filij suscepti ex ea, quæ credidit maritum mortuũ, sunt legitimi.*

13 *Filij ex Matrimonio nullo concepti, legitimi quoad omnia censentur propter bonam fidem vtriusq; vel alterius tantùm parentis.*

14 *Filij ex bona fide parentis nati, non fictè vel pro parte, sed verè legitimi sunt, & ad feuda admittendi.*

15 *Vxor ad primum reuersum maritum, relicto secundo, redire debet, qui eam recipere tenetur &c.*

16 *Vxor probaliter credens maritum viuere, an debitum coniugale exigere, vel reddere posit.*

17 *Dubius qualiter quis esse posit, vtrum liceat sibi aliq̃d agere.*

18 *Dubium speculationis à dubio practico differt.*

19 *Marito malitiosè absente, desertæ vxori aliud Matrimonium contrahere non licet & nu. 20. 21. & 23.*

22 *Ecclesia potius tolerat periculum, quod lædatur Matrimonium non in figura Matrimonij, quàm sub specie Matrimonij.*

24. *Lex generaliter loquens, generaliter intelligenda, & vbi lex non distinguit, nec nos destinguere debemus ibid.*

25. *Iuri*

## CAPVT DECIMVM SEXTVM.

1 VLtimum obstaculum, impediens Matrimonium contrahendum, & contractum dirimens, est ligamen, scilicet, cùm vir ligatus est alteri vxori, vel vxor ligata alteri viro. Et hoc impedimentum ex verbo Dei institutum, semper adeò validum & firmum fuit, ut antequam aliqua constitutio Ecclesiæ super hoc emanaret, nunquam alligatus vxori, potuerit aliam ducere vxorem. Neq; huic obstant exempla Patriarcharum, Abraham, Isaac, Iacob, & aliorum, q̄ 2 primis vxoribus, alias super induxerunt. Nam illis sanctis patribus ex speciali dispensatione, & reuelatione diuina, licuit plures vxores ducere, nempè multiplicandæ & ꝓpagandæ posteritatis causa, qđ ꝓbat text. in c. gaudem⁹ §. nec

§. nec ulli. de Diuor. Magist. & S. Thom. q. 1. art. 2. Palud. q. 1. art. 1. & Ioan. Maior q. 1. in 4. sent. dist. 33.

Neq; etiam sancti illi Patres contra prima principia Iuris naturalis, nec contra Ius naturale proprium plures vxores duxerunt, cum legi naturale ꝓpriæ, plures habere vxores nō repugnet, sed solùm legi quasi naturali, in qua sol⁹ De⁹ dispensare potest. S. Tho. in 4 sent. dist. 33. q 1. art. 2. idem lib. cōtra Gentiles. Vnam tamen mulierem plurib⁹ viris uubere, est omninò contra naturalē rationē, ut docet Conciliū Coloniense tract. de Matrim. cap. in cip. cæterum nec naturę, qđ idem ante illud docuit. S. Augustin⁹ lib. 1. de nupt. & concupiscent. cap. 9. & in lib de bono viduitatis cap. 7. Quia verò pluralitas vxorum aduersatur institutioni diuinæ Matrimonij, quæ excludit polygamiam seu pluralitatem vxorū, ut ꝓbatur ex modo loquendi in numero singulari. Matth. 19 Masculum & fœminam fecit eos & adhærebit vxori suæ, &: Erunt duo in carne vna, & ex illa explicatione CHRISTI. Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. Vnde Christus Dominus & seruator noster polygamiam tanquam Iure Evangelico omninò illicitam reprobauit & sustulit. Nam Matth. 19. reuocauit Matrimonium ad primam institutionem, ac voluit eam posthac valere. Sed prima institutio excludit pluralitatem vxorum. Ergò pluralitas vxorum à Christo prohibita est. Maior ꝓpositio ꝓbatur. Nā Dominus interrogatus à Pharisæis, an liceret vxorem repudiare, respondit non licere: Quia qui fecit hominem ab initio masculum & fæminam fecit eos, & dixit, ꝓpter hoc demittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro.

Quod ergo Deus coniunxit homo non ſeparet. Et cùm Phariſæi inſtarent, Moyſem permiſiſſe libellum repudij, Dominus iterum reuocans totam cauſam ad primam inſtitutionem, ait: Ad duritiam cordis veſtri Moyſes permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic.

Cæterum cùm hoc noſtro ſæculo in Germania noſtra contra Euangelium Chriſti, quo polygamia plurium vxorum ſimul expreſſè interdicitur, exorta eſſet hæreſis quorundam, dicentium polygamiam Chriſtianis neq; præceptam, neq; prohibitam eſſe, huic peſtiferę hæreſi ab inferis reuocatæ, cupiens intempore Eccleſia obiuare, eam in Concilio Trident. ſeſſ. 24. de Sacramento Matrim. c. 2. his verbis damnauit: Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, anathema ſit. Sed hæc Concilij Tridentinj definitio noua non eſt. Nam idem olim definerunt plurimi ſummi Pontifices, ut Syricius in Epiſtola. 1. & Innocentius I. in Epiſtola 9. & Innocentius III. in d. cap. gaudemus. de Diuort. & multi alij in toto tit. de ſponſa duor. & apud Gratianum 24. q. 3. c. Annon.

Quin & ipſa lex ciuilis pluralitatem Vxorum ſimul, non tantùm Chriſtianis, ſed etiam Iudæis prohibet l. nemo Iudæorum C. de Iudæ. & l. 2. C. de inceſt. nupt.

Verùm quia aliquis poteſt eſſe ligatus vni per ſponſalia tantùm, & alteri per Matrimonium, ideò videndum breuiter eſt, quid Iuris ſit vtroq; in caſu. Sciendum igitur quando quis contraxit ſponſalia cum aliqua per verba de futuro, non debet contrahere cum alia, nec alia cum alio. Sed quando contraxit cum alia ſponſalia

per

per verba de præſenti, vel per verba de futuro, & ſecuta fuerit copula carnalis, tunc Matrimonium tenet cum ſecunda, etiam ſi ſponſalia cum prima contracta, fuerint iurramento vallata, debet tamen de periurio & fide mẽtita pænitentiam agere. cap. 1. de ſponſ. duor & cap. ſicut ex literis. de ſponſalib. Verùm ſi quis contrahat ſucceſſiuè cum duabus Matrimoniũ per verba de præſenti, tenet Matrimonium cum prima contractum d. cap. 1. 5

Hæc tamen nouiſſimo Iure Concilij Tridentini non amplius ita generaliter procedunt. Nam ſecundùm illud ſponſalia de futuro per copulam carnalẽ non tranſeunt in Matrimoniũ, ut tradit Matin. Nauar. in Enchirid. cap. 22. nu. 26. & 28. & cap. 25. nu. 144. Per qđ quidem conciliũ etiam penitus Matrimonia clandeſtina ſunt ſublata & irrita facta ut patet ex ſeſs. 24. in decret. de reform. Matri. c. 1. Vnde ſi qs hodie clandeſtinè cum duabus ſucceſsiuè Matrim. contrahat, nihil agit, & neutram habere compellitur, cùm contra prohibitionem iuris contraxerit. Clandeſtinum autem Matrimonium dicitur illud, qđ ſine præſentia Parochi, vel alterius ſacerdotis facultatẽ in id ab eo, vel ordinario habentis, & ſine duobus vel tribus adhibitis teſtibus contrahitur. d. ſeſſ. 24. cap. 1. verſ. Qui aliter. Hinc impedimentum ligaminis hodie propriè tantum locum habet, quando primum Matrimonium contractum eſt adhibitis debitis requiſitis & ſolennitatibus: Nullus enim poteſt Matrimonium contrahere cum ſecunda viuente priore, etiam ſi primum Matrimonium non fuerit conſummatum, & ſecundum ſit conſummatum, & ex eo procreati ſint liberi. cap. licet. & cap. fin. de ſponſ. duor. 6 7 8 9

Nec obſtat, quod in fine d. cap. licet. dicatur à qui-

busdam Romanis Pontificibus aliquandò iudidacum fuisse, posterius Matrimoniũ consummatum carnali cõiunctione, esse priori nondum consummato præferendũ. Quia respondetur, qđ pdicti Pontifices non ita iudicârunt legẽ condendo, & iudicia illorum non pertinere ad vniuersaliũ canonũ institutionẽ, sed ad quarundam controuersiarum & litium diffinitionem, & ideò non esse adducenda ad pbationẽ alicuius opinionis, psertim cùm agitur de vniculo, qđ ex iure naturali & diuino cõstare videtur, ita eleganter Couar. 4. decretat. 2. part cap. 7. §. 3. nu. 5. & §. 4. nu. 15. vers. verùm his, ubi etiam dicit verbum iudicasse in d. cap. licet, in eodem sensu accipi posse, quo verbum sentio, aut opinor. Quare id quod dicitur in d. cap. licet à pdecessoribus quibusdam nostris aliter quandoq; iudicatum est, referendum est ad iudiciũ particulare, ex propria opinione, non quod Pontifices ita vniuersaliter legem statuerint, vel quasi certum definierint. Idem respondet Bellarm. Tom. 1. 3. controuers. gener. lib. 4. de Romano Pontifice cap 14.

10 Et quod nullus possit viuente vxore ducere secundã, & vice versa, hoc adeò verum est ut nulla regionis absentia, aut temporis diuturnitas sic contrahendem excuset, nisi denuò contrahat cum illa, habita de illius mor- 11 te notitia, ad quam habendam, sufficeret fama, si in longinquum profectus fuit, & longo tempore abfuit. Antõ. in cap. in præsentia. de sponsalib. Syluest. verb. Matrim. 8. q. 13. vers. Quartum, quos sequitur Marti. Nauar. in Enchirid. cap. 22. nu. 53. Aut si erat senex, vel prælium ingeessus, & postea non amplius apparuit, qua de re literas accepit ab his, qui eidem interfuerunt glos. cap. quoniã frequenter. in verb. præsumatur, ut lite non contest.

Auth.

Auth. hodie C. de Repud. Nam si fama orta ex horũ aliquo, ad eam perueniret, posset denuò cum secundo contrahere & sine peccato eidem sese commiscere.

Etenim quamdiu vxor credit mortuum esse maritum, nec ipse reuertitur, excusatur ab adulterio ꝓpter ignorantiam facti, c. per bellicam 34. q. 2. Quia adulteriũ 12 sine dolo non committitur l. penult. ff. ad l. Iul. de adul. & filij ex ea suscepti reputantur legitimi cap. cùm inter. & cap. peruenit. cap. ex tenore. Qui filij sint legit.

Imò ut filij censeantur legitimi, bona fides alte- 13 rius tantùm ex coniugibus sufficit. d. cap. peruenit. & d. ex tenore. vbi glos. verb. legitimum. Ad quod tamen duo sunt necessaria, Primum, quod Matrimonium fuerit bona fide contractum: Alterum, quod in facie Ecclesiæ sit celebratum d. cap. cùm inter. & ibi communiter Doct. & cap. cùm inhibitio §. 1. de clandest. de spon. Couar. 4. decretat. de sponsalib. 2. part. cap. 8. §. 1. nu. 2.

Vnde tales filij non ex parte sed integrè, & omninò 14 legitimi quo ad omnia censentur, glos. communiter recepta in d. cap. cùm inhibitio §. 1. ita ut etiam succedant in feudo Bald. in cap. 1. §. naturales. si de feud. fuer. cõtrouers. inter Dominum & agnat. vasall. Si verè legitimi sunt huiusmodi filij, ut probatur in d. cap. ex tenore. Igitur pro parte legitimos esse, & pro parte illegitimos non conuenit. arg. l. duobus ff. de liber. caus. glos. in cap. cũ in captiuitate 34. q. 1. Couar. d. §. loco. nu. 2.

Postquam verò primus maritus reuertitur, debet 15 vxor statim recedere à secundo & redire ad primum, si verò non reuertitur, sed tamen vxori de eius vita constiterit nihilominus à secundo recedere debet quod si non fecerit adultera iudicabitur. cap. Dominus. de secund.

 nupt.

nupt.cap. inquisitioni, de sent.excom. & d. c. cùm per bellicam & d.c.cùm in captiuitate,& c.si virgo ead.caus. 34.q.2. Primus quoq; eam recipere tenetur, nisi de eius vita certior facta, cum secundo rem habuerit d. c. per bellicam. Sed quid si vir non reuertitur, vxor tamen ꝓbabiliter credit eum viuere,quid faciet? Non exiget debitum à marito secundo,nec reddet, adulterij periculo se exponendo. Si tamen dubitat,potest,& debet reddere,sed non exigere.d. cap. Dominus.Syluest.d. loco.vers. secundum.Sed huic obstat,quod is,qui dubius, an liceat sibi absq; mortali peccato quidquam agere,id agit,exponit se periculo peccandi mortaliter.arg. cap. dubius, de hæret. Igitur mulier dubitans de morte prioris mariti, reddens secundo viro debitum coniugale mortaliter peccat.Nam qui amat periculum, peribit in illo.Ecclesiast.cap.3.cap. literas. de restit.spoliat.d. cap. in præsentia de sponsalib. Hoc dubium pulchré & subtiliter explicat Martin.Nauar.d.c.22.nu.55.& cap.si quis autẽ.de pœnit. dist.7 nu.101.

16

17 Vbi dicit, non debere vxorem reddere dubitando, sed credendo, posseq; credere mortuum maritum quo ad effectum reddendi,non quo ad effectum petendi, eo quod possit quis, vno tempore quibusdam rationibus credere aliquid ad vnum effectum,& alio ob aliàs rationes contrarium,uel dubitare ad alium effectum. Verùm quando rationes dubitandi adeò prægnantes sunt,ut iudicio prudentis,neutram partem credere debeat,nec petere,nec reddere debitum debet: Quando verò adeò leues,ut vtramq; partem credere possit,& reddere,& petere,dubitatione sublata,potest. Cùm verò sunt mediocres talesq;,vt ob eas in præiudicium alterius,non sit credendum,

dendum, in suum verò secus, reddet, credendo ad hunc effectum, mortuum esse, & non petet dubitando de illo, quo ad hunc effectum. ita eleganter Martin. Nauar. citatis locis. Cui subscribit Couar. in epitome de sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 2. nu. 8. vbi & nu. 10. pulchrè inter dubium speculationis & practicum distinguit, inquit enim sæpissimè euenire, quem esse in vna & eadem re dubium speculatione, certum verò in praxi: Id autem contingere 18 si quis dubitet, matrimonium, quod verbis cõtraxit, ratũ ac legitimũ fuisse & tamẽ nõ dubitet, quin teneatur coniugi exigenti debitũ reddere. Huic permissum esse, hoc in dubio reddere debitum, quia non agat contra conscientiam practicam, quæ circa actus humanos versatur, ex dubio praxis: sed ex dubio speculationis, quæ nihil de opere dictat, nihilominus actionem exequitur, ita acutè Couar. iam d. loco. ubi subiungit hoc optimè conuenire d. c. Dominus & d. cap. inquisitioni. Hinc dubium practicum à dubio speculatiuo maximè differt.

Ex his infertur responsio ad quæstionem, qua quæritur: An liceat propter voluntariam & malitiosam desertionem viri, desertæ vxori, vel vice versa propter desertionem vxoris viro deserto aliud Matrimonium contrahere, infertur inquam responsio negatiua, scilicet, qđ tamdiu non liceat, quamdiu vxor non est certiorata de morte mariti. Probatur hęc responsio primò per dictum D. Pauli 1. Cor 7. His qui Matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus vxorem à Viro non discedere 20 & si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Cuius dicti priora verba iniustam discessionem, posteriora iustam complectuntur. test. S. Augustino lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 1. 2. 3. & 4.

Probatur

21 Probatur ſecundò per textum Iuris canonici in d. cap. in præſentia vbi dicitur, quod vxor non certificata de morte mariti, alij nubere non poſſit, etiam ſi maritus longo tempore abſit, & ea eius ſit ætatis & fragilitatis, vt continere nequeat. Indiſſolubile enim eſt Matrimonij vinculum ſemel contractum. Nam quos Deus coniunxit homo non ſeparet. c. quos De⁹ 33. q. 2. c ũ ſimilib.

22 Vnde Eccleſia potius tolerat periculum, quod lædatur Matrimonium non in figura Matrimonij, quã ſub ſpecie matrim. arg. eorũ quæ dicuntur in cap. nuper, de bigam. Vbi grauius peccant clerici, qui fornicantur in figura Matrim. quàm ij, qui nõ ſub tali figura fornicantur.

23 Tertiò probatur per textum Iuris ciuilis in d. Auth. hodie C. de Repud. vbi dicit text. hodie quãtiscunq; annis maritus in expeditione manſerit, mulier ſuſtinere debet.

Quibus primò non obſtat, quod text. in d. Auth. hodie. tantùm videatur loqui de neceſſaria ſeu probabili abſentia, quando nimirum maritus legitimè delectus ad militiam abeſt, quod tunc, donec viuit, vxori non permittatur alteri nubere. Quia reſpondetur primò, quod d. Auth. hodie. nullam faciat differentiam inter neceſſariam, probabilem, vel improbilem ſeu malitioſam abſẽtiam. ſed loquatur de quouis genere abſentiarum generaliter. Fieri enim poteſt, ut maritus non virtutis, ſed malitiæ cauſa tædio nimirum Matrimonij affectus proficiſcatur in militiam, vel etiam ob delictum relegetur in eam.

24 Iam verò regula eſt, quod lex generaliter loquens, generaliter ſit intelligenda, & ubi lex non diſtringuit, nec nos deſtringuẽre debemus. l. 1. §. & generaliter. ff. de legat.

gat. præstand. l. de pretio vbi glos. ff. de pub. in rem act. l. pses. ubi glos. ff. de offic. psid. l. 2. §. conuenire. ff. de iudi. l. quos phibet. ff. de postulã. cum similib. Deinde respondetur, posito, non tamen concesso, qđ d. Auth. hodie, tãtùm loquatur de absentia necessaria seu pbabili, rectè tamen accommodatur & extenditur ad quamcunq; absentiam, etiam improbabilem vel malitiosam pptet idẽtitatẽ rationis, & indissolubilitatem vinculi Matrimonij, & hoc psertim ppter ius Canonicũ, qđ nullã differentiã, quo ad vinculũ matrimonij, inter absentiã necessariã, pbabilem, improbabilẽ seu malitiosam facit. Cui Iuri in concernentibus animã, & peccatũ semp est standũ. Nam & aliâs quando de eadẽ re contrariæ reperiuntur leges Ciuiles & Pontificiæ, si materia legis est res periculũ animarũ concernens abrogatur lex Impatoria seu ciuilis per legem Pontificiã, vti supra cap. 1. nu. 13. ex glos. cap. Possessor de reg. Iur. in 6. demonstraui.

23

Secundò non obstat, quod quibusdam videatur hoc casu, quo maritus malitiosè abest, tantùm exspectandum esse decennium, per text. in cap. perlatum. qui filij sint legit. Quia nec text. ibi hoc dicit, neq; Doctores hoc ibi colligunt. Nam loquitur textus ibi de sententia diuortij pmulgata ppter probatũ impedimentum ppetuum, & non ppter diuturnam absentiam mariti, ut patet ex glos. ibi verb. prnulgauit. Et Canonistæ ibid. contrarium determinant, & intelligunt, scilicet, simpliciter non esse permittendum vxori, ut alij nubat, nisi constet de morte mariti etiam malitiosè absentis.

Tertiò non obstat dictum D. Pauli Apostoli 1. Cor 7. Si infidelis descedit, descedat, non enim seruituti subiectus est frater, vel soror in huiusmodi. Quia respon-

detur Apostolum loqui de casu infidelitatis, non de quacunq; desertione. Nam si alter coniugum ex infidelitatis errore ad fidem Catholicam conuertatur, & alter noluerit ei cohabitare citra Creatoris iniuriam, & conatum peruertendi, vel inducendi eum in peccatum mortale, dissoluitur Matrimonium, & potest Catholicus aliud Matrimonium contrahere, d. cap. gaudemus. de diuort. qua de re supra cap. 3. fusè egi. Et hæc D. Pauli verba ita intelligi frequentissima Doctorum interpretatione, & ab Ecclesia hanc assertionem receptam esse fatetur Caiet. commentans in illa, quem refert Couar. in Epitome de sponsalib. 2. part. cap. 7. d. §. 4. nu. 5.

Deniq; non obstat quod à Lutheranis & Caluinistis obijcitur. Quod si personæ desertę aliud Matrimonium contrahere non liceret, persona innocens, sine sua culpa, iure suo priuaretur contra regulas iuris cap. sine culpa, de reg. Iur. in 6. cap. discretionem. §. nam etsi. de eo qui cogno. cousangui. vx. suę. & nequaquam laquei conscientiæ innocentis personæ inijciendi sunt propter aliena delicta, cùm delicta suos debeant tenere authores l. sancinus. C. de pœnis.

Quia respondetur illos malè regulam Iuris allegare. Nam hæc regula ita se habet. Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. Vbi non solùm culpam, sed etiam causam abesse oportet, vt quis nullo modo puniri possit. alioqui quàm sæpè filij priuantur hæreditate paterna ob delicta parris?

26

Vt in crimine læsæ maiestatis l. quisquis §. filij C. ad l. Iul. maiest. & in crimine hæreseos. cap. vergentis. ubi glos. verb. exhæredatio. & cap. excommunicamus. d. §. damnati de hæret. & cap. statutum. eodem tit lib. 6.

quàm

quàm sæpè ob iudicia aliqua iure torquentur homines à Iudicibus sine vlla propria culpa? quàm sæpè ob incurabilem coniugis morbum sine culpa sua priuatur alter coniunx debito coniugali, & (quod grauius est) fructu nuptiarum, id est prole?

Sic igitur vxor ob mariti sui desertionem vel discessionem priuatur vsu coniugij sine culpa, sed non sine causa: causa enim subest maxima, quia vinculum prioris manet & quia CHRISTVS prohibet, & quia fieret iniuria proli &c. ita Bellarm. lib. 1. de Matrim. sacram. cap 17.

[Cæterum, quando quis ob alterius culpam absq; proprij criminis labe, diuino vel humano iudicio puniatur, quinq; conclusionibus eleganter ostendit Couar. variar. resolut. lib. 1. cap. 8. nu. 1. & Matth. de Affl. in cōstitution. Neapolitan. tit. 2. nu. 33. duodecim tradit casus, quibus filij pro parentum delictis puniuntur.]

His suffragatur Concilium Trident. quod sess. 24. de sacram. Matrim. c. 5. ita statuit: Si quis dixerit propter affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse Matrimonij vinculum, anathema sit.

Vt autem mulier cum secundo contrahere Matrimonium queat, supra dixi sufficere famam de morte prioris mariti. Cui non obstat, quod textus in d. cap. in præsentia, certum nuncium requirat, cùm fama procedat ex incerto authore & plerunq; fallaci, ut not. in cap. vestra, de cohabit. cleric. & mulier. Quia respondetur Ex parte Ecclesiæ ad dandam licentiam contrahendi certum requiri nuncium: Ex parte verò mulieris sufficere famam, & ut verisimiliter credat mortuum esse maritum. Nam in Ecclesia requiritur maior [illegible]

27

quàm in muliere,& consequenter maior certitudo, q̃d text.in d. cap. in præsentia in fine apertè innuit. ita post Anton.in d. cap.in præsentia. Syluest. supra allegato loco vers. Quartum. Dictum est,ut veri similiter credat maritum mortuum esse.

28 Nam si dubitaret,non posset aliud Matrimonium contrahere,& si contrahit dubia de morte mariti sine probabili causa de se inducente firmam credulitatem est adultera,cùm agat contra conscientiam , & repellitur à primo,si redierit.arg. d. c.domin⁹ & d.c.in p̃sentia. Secus si audierit eum mortuũ falso rumore,nisi rumorem ipsa procurasset l. Miles, §.mulier.ff. ad l. Iul.deadult. Syluest. d. loco Quæ hoc loco dicuntur de vxore nubente secundo,eadem dicta censeantur de marito ducente secundã cum in causa Matrimonij vir & vxor ad imparia non iudicentur.d. cap. gaudemus. de diuort.& c. si quis vxorẽ. 32.q. 1. & c.præcepit.& c. apud nos.ead. caus.q.5.

Illud hoc loco lubet breuiter notare, quod solennitas Iuris Authenticorum , qua cauebatur, ut quando maritus diu in expeditione abesset,& diceretur mortuus tunc vxor adiret belli Ducem & faceret recipi dicta aliorum militum,qui si deponerent de morte mariti,adhuc deberet exspectare per annum , & posteá demum cum alio contrahere,aliàs tàm ipsa, quàm qui eam duceret, puniantur,velut adulteri. d.Aut. hodie. C.de Repud.se-
29 cundùm canones non sit neccessaria , secundùm quos etiam pœna infamiæ mulieri infra annum luctus nubenti à Iure Ciuili (l. 1. C. de secund.nupt. & l. 1. ff. de his qui not.infam.) præstituta,est sublata.per text. in cap. penul. & in cap. fin. de secund. nupt.

[illegible] de Iure canonico,siue verè, siue verisimiliter

ſimiliter de morte mariti conſtet,ſtatim poteſt cum alio contrahere dictis capitib. Hoc tamen limitatur non procedere in alijs pœnis de Iure Ciuili mulieri infra annum luctus nubenti,in fauorem filiorum primi Matrimonij appoſitis. Nã illæ etiã de Iure canonico non ſunt ſublatæ,ut notãt Innocẽt. in d.c. fin. & Anto. ibid.nu.2. Bart. in d.l.1. & in l. decreto C. ex quib. cauſ. in fam. irrog. Idem Bart. in l. Liberorum.ff. de his qui not. infam gloſ.in c. fin. 2. q.3. & gloſ. marginalis in d. cap. fin.

Sed hîc quæri poſſet,qua nam pœna puniendus ſit, qui uiuente priore vxore,aliam duxerit? Huic quæſtioni reſpondet Roman. ſing. 531. eum qui binas nuptias celebrauerit puniendum eſſe pœna adulterij,capitali,nempe gladio,per l. Eum qui duas.C. ad l. Iul. de adult. idem reſpondet Marc. Mant. ſing. 4. 30

Et hæc quoq; pœna conſtitutionibus pænalibus Caroli V. utroq; in ſexu, hoc in delicti genere decreta eſt ordinat.imperij cap. 131.

Verùm in hac quæſtione deſtinguendum eſſe arbitror. Aut enim quis ſolutam duxit,aut coniugatam. Priori caſu puniendus eſt talis pœna ſtupri. d. l. eum q duas.ubi gloſ.verb. infertur. Pœna verò ſtupri eſt in perſonis honeſtis amiſſio dimidiæ partis bonorum,in vilibus verberatio cum quinquennij relegatione. §. Item lex Iulia.de adulterijs. Inſtit. de public. Iudic. Hoſt. in ſumma tit. de ſtupro. §. & qualiter. Couar. in Epitòme de ſponſalib. 2. part. cap.7. §. 3. num. 6.

Poſteriori caſu,quando quis ſcienter coniugatam duxit in vxorem,puniendus eſt pœna adulterij,qua & fæmina punienda eſt,ſi ſcienter cum ſecundo contraxit,ex d.l. eum qui duas. Couar.d. loco.vbi dicit non rectè fuiſ-

ſe locutum Roman. d. ſing. cùm pœna mortis ſeu gladij non probetur in d. l. eum qui duas.

Defendi tamen poteſt Romanus, ut iliius opinio locum habeat in poſteriori caſu. Punitur inſuper ſecundas nuptias, primis nõ ſolutis contrahens, à Iure pœna infamiæ, d. cap. nuper de bigam. & d. l. eum qui duas. & per Iudicem Eccleſiaſticum publica ignominia, arg. c. de Benedicto 32. q. 1. Abb. in cap. cùm haberet de eo qui dux. in Matrim. col. 2. Deniq; ſuſpectus hæreſeos cenſendus eſt, qui ſecundum Matrimonium, primo durante contrahit, quaſi nõ rectè ſentiat de ſacramentis, ita poſt Dominic. de S. Geminiano. & Franc. in cap. accuſatus. §. ſanè, de hæretic. in 6. Couar. d. loco. Huic etiam delicto diuerſis in Regionibus, & prouincijs, variæ & diuerſę ſunt pœnæ præſtitutæ.

31

Reſtat vltimò & illam quæſtionem obiter hîc examinare: An vxor teneatur ſequi maritum vagabundũ? Ad hanc quæſtionem ſub diſtinctione reſpondetur, Aut enim tempore contracti Matrimonij maritus erat vagabundus, & vxor ſciuit, & tunc tenetur eum ſequi, cenſetur enim mores eius approbaſſe. Quod tamen intelligendum eſt, quandiu honeſta cauſa vagaretur.

Nam ſi ob turpem cauſam id faceret, vel eam circumduceret, exponendo eam peccati, vel mortis periculo, tunc nullo modo ipſũ ſequi teneretur. Qui enim ita vagatur procul dubio peccat, & proinde illi non eſt conſentiendum arg. c. non ſemper. Sylueſt. verb. vxor q. 8. Martin. Nauar. in Enchirid. cap. 14. nu. 20.

Aut initio non erat Vagabundus, vel vxor ignorabat, & tunc non tenetur eum ſequi. Probatur hæc reſponſio authoritate gloſ. in c. Vnaquæq; 13. q. 2. & in

c. ſi quis

c.si quis necessitate. 34.q.2.quam dicit singul. Imol. in Rub. ff. solut. matrim. nu. 7. not. Alexand. Imol.in l. si cum dotem.§. maritus.ff.solut.matrim. Hanc communem esse opinionem tradit Couar. in Epitome de sponsalib. 2. part. cap.17. num. 5.

Verum si modica est peregrinatio, vel maritus ex iusta causa se transferat ad alia loca mutando domicilium, vxor tenetur eum sequi, secundùm glos. in d.c. Vnaquęq; & d. c. si quis necessitate. & glos. in cap. 1. verbo sequantur. de coniug. lepros. Abb. & Henric. in cap. de illis. de spònsalib. Bart. in l. Mænia §. fin. ff. de annu.leg. Bald. in l. qui manumittitur C. De oper. Libert.

Nisi ab initio coniugalis contractus pactum præcesserit inter eos, ut vir cum vxore in certo loco habitaret. quod Abb. in cap. 1. qui Matrim. accusar. poss. communiter receptum asserit. Syluest. d. loco. idem tenet Anton. in d. cap. illis.

Si tamen iusta aliqua causa superueniret, quæ impediret maritum in loco conuento manere, ut infirmitas vel capitalis inimicitia, tunc non obstante præmisso pacto, teneretur vxor eum sequi. arg. d. c. Vnaquæq; & sentiunt prædicti Doctores citatis locis.

Verùm cùm huiusmodi pactum de habitando in certo loco vel domicilio libertati sit inimicum & speciem seruitutis contineat. l. Titio. §. 2. ff. de condit. & de monstrat. & ibi Doct. l. antiquitas C. de usufruct. cum similib. existimat Couar. d. loco tali pacto non obstante, nõ esse obligatum maritum ad habitandum in certo & signato loco, sed vxorem debere eum sequi, cum vxoribus competat obtemperare maritis.

Et

Et licet hæc Couar. opinio de Iure videatur verior prior tamen est æquior & communior, quam etiam insignis sanctitatis & summę scientiæ vir D. Martin. Nauar. d. loco tenet, Atq; hæc de priori huius tractatus parte sufficiant, in qua pro ingenij mei tenuitate, de omnibus impedimentis Matrimonium dirimentibus obiter & punctoriè disserui. De impedimentis, Matrimoniũ tantũ impedientibus, nõ dirimentibus illud, propriam tractationem non instituo, ne tractatus iste iustum modum excedat. Quare sufficiant ea, quæ de quibusdam in hac priore parte suis locis incidenter dixi.

FINIS.

177

SECVNDA PARS.

*Tractatus*

# DE DIVORTIIS, IN QVO PLERAE-QVE QVAESTIONES CIRCA MATERIAM DIVORTIO-rum incidentes deciduntur.

PER GEORGIVM

*MOR NIGRIMONTANVM, Brigantini Syluanum, Vtriusq; Juris Doctorem congestus, in duas diuisus Partes, & ad vtilitatem eorum, qui in vtroq; foro, Ecclesiastico & Ciuili versantur, in lucem editus.*

Adiecta sunt singulis Capitibus summaria, & in fine Index rerum & verborum locuples.

---

FRIBVRGI BRISG.

*Excudebat Martinus Böcklerus,*

*M. D. XCVIII.*

# TRACTATVS DE DIVORTIIS PARS SECVNDA.

## *AVTHORE GEORGIO MOR, IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE.*

ABSOLVTIS causis & casibus, quibus vel Matrimonium non consummatum quo ad vinculum dirimitur, vel aliâs etsi comsummatū fortè sit, de Iure inualidum est, superest, ut eas causas, quibus Matrimonium consummatū, manente vinculo, quo ad mutuam cohabitationem dissoluitur, hæc secunda parte paucis perstringam, nec non quæstiones aliquot, circa diuortium quo ad cohabitationem emergentes subiungam.

### Ex Capite Primo summarium.

1 *Matrimonium consummatum inter fideles, quo ad thorum & cohabitationem primò dissoluitur, ex mutuo vtriusq; coniugis consensu propter perfectiorem statum acquirendum.*

2 *Alter coniunx, altero inuito religionem ingredi non potest.*

3 *Sola licentia vxoris non sufficit, vt vir religionem ingredi poßit. & nu. 4.*

5 *Votum solum continentiæ vxoris, vt maritus religionem intrare poßit, an sufficiat.*

6 *Religionem inuita vxore, qui ingressus est & ab ea repetitus, an ea mortua ad religionem redire cogatur, & an aliud Matrimonium contrahere poßit.*

7 *Ingressus Monasterium, vxore sciente, & non contradicente, illa mortua exire non potest.*

8 *Profeßio facta vxore consentiente, idem operatnr, quod ingreßus.*

9 *Mulier credens maritum esse mortuum, religionem ingressa, à marito educta, si ille moriatur, an ad monasterium reuerti cogatur.*

10 *Matrimonium consummatum quo ad thorum & cohabitationem secundò dirimitur sine consensu ob triplex crimen.*

11 *Diuortium quo ad thorum & cohabitationem asseritur ex Ecclesiæ decretis & concilio Tridentino.*

## CAPVT PRIMVM.

SCiendum in primis est, Matrimonium consummatum inter fideles quo ad thorum & mutuam cohabitationem duabus potißimum de causis dissolui posse. Primò ex mu-1 tuo vtriusq; coniugis consensu, propter maiorem & perfectiorem statum acqrendum, ut si uterq; coniugum ꝑpetuam continentiam voueat, &ad religionemtranseat.

toro

toto tit. de conuerſ. coniug. quo de diuortio plurima exempla ſanctorum exſtant, vt videre eſt apud Robert. Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 37. Et confirmatur hoc ipſum expreſſo Chriſti teſtimonio Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, vel agrum, vel vxorem, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit, ubi loquitur de dimiſſione vxoris, ut Apoſtoli fecerant, nimirum cauſa ſequendi ipſum. Dixi ex mutuo conſenſu.

2 Nam alter coniugum, altero inuito religionem ingredi non poteſt. c. ſunt qui dicunt. & c. Agathoſa. & c. ſi quis coniugatus. c. ſi vir. & c. Quia Agatho. cum c. ſeq. 27. q. 2. cap. 3. cap. cùm ſis. cap. vxoratus. & cap. ad Apoſtolicam. de conuerſ. coniug. Ratio eſt: Quia neuter habet poteſtatem corporis ſui, & proinde neuter poteſt in præiudiciũ alterius caſtitatem vouere, & religionem intrare. d. c. ſunt qui dicunt. cum reliquis. & c. vna ſola. 33. q. 5. Et ſi alter ita ingreſſus religionem fuerit, ab altero remanente in ſæculo repeti poteſt. allegat. Iurib.

3 Quod ſi vir cum vxoris licentia religionem ingreſſus fuerit, & ꝓfeſſionem fecerit, vxor tamen de incontinentia ſuſpecta ſit, & nec continentiam voueat, nec religionem ingrediatur, non obſtante licentia ꝓfitẽdi, non vxor ad continentiam cogi, ſed vir ad vxoris thorum euocari poterit. cap. 1 & ibi gloſ. & Doct. & d. cap. cùm ſis, & cap. accedens. de conuerſ. coniug. niſi vxor poſt viri ingreſſum fornicata fuerit. cap. veniens de conuerſ. coniug.

4 Ex quo patet, quod ſola licentia vxoris non ſufficiat, ut vir religionem ingredi poſſit, niſi ex parte vxoris cõcurrat votum continentiæ, vel ingreſſus religionis. d. cap 1. & d. cap. cùm ſcis & d. cap. ad Apoſtolicam. Nec obſtat

stat d. c. Agathosa. Nam quod in iam dictis capitib. dicitur fallit in casu illius canonis, scilicet, quando vxor cōmisit adulterium, tunc enim cùm maritus solutus sit à seruitute vxoris, quæ non potest debitum exigere, liberè potest ingredi religionem. sequitur Abb. in d. cap. cum sis.

5 Deinde etiam non sufficit vxoris votum continētiæ, ut maritus religionem ingredi possit, si illa iuuenis sit, & suspecta de incontinentia, sed insuper necesse est, ut & illa ad religionem transeat. d. cap. cum sis. & d. cap. vxoratus. & d. cap. ad apostolicam. glos. in cap. significauit. de conuers. coniug. Si tamen esset senex, & sterilis, ac etiam integræ opinionis, in sæculo remanere posset, emisso prius voto castitatis. d. cap. cùm sis. & d. cap. vxoratus. & d. cap. ad Apostolicam.

6 Sed quæri potest: An is, qui inuita vxore ingressus est religionem, & repetitus ab ea, ad eandem redire coactus fuerit eâ mortuâ, cogatur rursus ad religionem reuerti? Huic quæstioni breuiter respōdetur negatiuè, scilicet, eum ad monasterium non teneri redire. Ratio est: Quia ingressus & votum non tenuit, non enim potuit se obligare ad religionem in præiudicium vxoris, cum potestatem sui corporis non habeat. d. cap. 3. & d. c. sunt qui dicunt. in fin. Vxorem tamen vlterius ducere non poterit, cùm ingrediendo Monasterium debitum se nō exacturū promiserit, quod in eius potestate erat, & ideò quo ad hoc votum tenuit, non reddere autem non erat in eius, sed mulieris potestate, ut inquit text. in d. cap. 3.

Sed quid si de facto ducat vxorem, an validum eri Matrimonium? Anton. & alij in d. cap. 3. respondentt tutius esse tenere, quod Matrimonium non valeat,

Cuius.

Cuius reddunt hanc rationem. Quia licet hoc votum videatur ſimplex, tamen quantum ad continentiam ſeruandam, cum fuerit determinatum ad certam approbatam religionem, videtur ſolennizatum. Abb. verò in d. cap. 3. tenet contrarium, nimirum Matrimonium valere: ea ratione, quod cap. vnic. de voto in 6. requirat, quod votum ſolennizetur per expreſſam vel tacitam profeſſionem, & ſic, quod vouens ſit effectus religioſus, quod non eſt in iſto caſu, cùm paria ſint non profiteri, vel inualidè profiteri. arg. cap. 2. de tranſlat. prælat.

Et hæc opinio videtur verior, eo tamen addito moderamine, quod adducit gloſ. in ſæpè d. cap. 3. ut ipſe debitum ab vxore exigere non poſſit, licet reddere teneatur arg. cap. literas. de reſtit. ſpoliat. & cap. inquiſitioni. de ſent. excom.

7 Is tamen qui vxore ſciente nec contradicente ingreſſus eſt Monaſterium & profeſſus vitam Monaſticam defuncta vxore ad ſæculum redire non poteſt. cap. conſuluit de conuerſ. coniug. quod ſi ex Monaſterio exierit, & Matrimonium contraxerit, illud dirimendum erit. d. cap. 3. & cap. ex parte. el. 1. de conuerſ. coniug.

8 Quod multò magis locum habebit in eo, qui vxore conſentiente profeſſus fuerit, etſi Monaſterium nunquam fuerit ingreſſus. Idem enim operatur profeſſio facta conſentiente vxore, quod ingreſſus. d. cap. ex parte el. 1. & ibi gloſ. & Abb. quod tamen eſt intelligendum ſi & ipſa vxor continentiam voueat, & fuerit certiorata de Iuris communis diſpoſitione. ſecund. Abb. in d. cap 1. de conuerſ. coniug. & not. in d. cap. ex parte. el. 1. & ibi Abb.

Cæterùm

9 Cæterùm mulier, quæ redens maritum esse mortuum, est religionem ingressa, à marito educta, si ille moriatur, ad Monasterium reuerti non cogitur, licet huic consultius ad animam fuerit. cap. placet. de conuers. cõiug. Ratio est: Quia votum emissum tempore inhabili non obligat tempore habili, cùm paria sint nullum & minus efficax arg. d. cap. 2. de translat. prælat. Vnde si illa contraheret Matrimonium, illud teneret: debitum tamen exigere non posset, licet reddere teneretur, per supra dicta in fin. nu. 6.

Secundò dirimitur Matrimonium non consummatum sine consensu, ob crimen idque triplex. Primum est adulterium alterius coniugis. Secundum si alter coniugum à Catholica fide deficiat, & hæreticus fiat. Tertium est, si alter coniugum impellat alterum ad peccatum, ita ut non possit alter cum eo sine periculo Deum offendendi cohabitare.

10

11 Et hæc omnia continentur in decretis Ecclesiæ tit. de Diuort. Et concilium Tridentinum non ita pridem contra Lutheranos id ipsum his verbis confirmauit sess. 24. de sacram. Mattim. c. 8. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges quo ad thorum, seu quo ad cohahitationem ad certum, incertumuè tempus fieri posse decernit, anathema sit. De his criminibus, ob quæ diuortium quo ad thorum & cohabitationem fieri potest, ordine aliqua dicenda sunt.

## Ex Capite Secundo summarium.

1 *Fornicationis causa dimitti potest vxor, & è conuerso maritus.*

2 *Mari-*

2 *Maritus non potest vxorem ob fornicationem sine iudicio Ecclesiæ dimittere.*

3 *Lite pendente super adulterio, accusatus de adulterio ad seperationem thori, possessione coniugali priuari non debet.*

4 *Maritus vxorem ob notorium adulterium propria authoritate expellere an possit, & an vxor ob id à marito expulsa restituatur ex interdicto vnde vi & nu. 6.*

5 *Maritus licet possit vxori notoriè adulteræ negare debitum coniugale, non tamen potest eam absq; sententia Iudicis Ecclesiastici à domo expellere.*

7 *Maritus propter notorium vxoris adulterium, vxore inuita, religionem ingredi potest.*

8 *Quibus casibus persona nocens religionem ingredi possit.*

9 *Quare Christus Matth. 19. dixerit non posse coniugem dimitti, nisi causa fornicationis, cùm tamen possit dimitti ob alia crimina.*

10 *Diuortium ob adulterium quatuor de causis fieri potest illicitum.*

## CAPVT SECVNDVM.

PRiori capite dictum est Matrimonium consummatum inter fideles quo ad thorum & mutuam cohabitationem primò dissolui posse mutuo vtriusq; coniugis consensu, secundò sine consensu ob crimen triplex, consequens est, vt de primo crimine, tanquam altera causa, qua Matrimonium consummatum dirimi potest, seu quod idem

est diuortium quo ad thorum & cohabitationem fieri potest, quæ est fornicatio carnalis, seu adulterium, aliquid breuiter tractem. Propter adulterium igitur vxoris potest vir eam à thoro & cohabitatione dimittere, ex authoritate diuina Matth. 19. vbi inquit Christus. Quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mæchatur.

Ergò licet vxorem dimittere causa fornicationis quod Iura Canonica passim referunt. cap. ex parte. de sponialib. cap. significasti. cap. ex literis. cap. gaudemus. de Diuort. cap. intellieximus. cap. fin. de adult. cap. tuæ. de procurat. l. consensu C. de repud. quo in Iure par est, vtriusq; coniugis conditio. Nam vxor potest petere Matrimonij separationem quo ad cohabitationem mutuam propter viri fornicationem, sicut & vir ob vxoris adulterium, quod omnium consensu receptum est, idq; rationi consentaneum esse dicit Diuus Basilius in can. 9. & 21. licet fatetur consuetudine obtentum esse, non posse maritum propter fornicationem ab vxore dimitti, quam differentiam orthodoxi omnes planè negant, iureq; negari debet. Couar. 4. lib. decret. de sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 5, nu. 8.

Etsi enim Christus Matth. 19. de viro solùm loquatur, quia ordinariè viri vxores dimittunt, raro autem ab vxoribus dimittuntur viri: attamen quod CHRISTVS DOMINVS de viris dixit, etiam ad fœminas pertinet.

Nam Apostolus 1. Corinth. 7. vtrunq; dixit: Præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere, & vir vxorem non dimittat, videlicet sine iusta causa. Vnde vir & vxor quo ad hanc non ad imparia iudicantur,

tur. d. cap. gaudemus. & c. si quis vxorem. 32. q. 1. & c. præcepit. & c. apud nos. ead. cauf. q 5.

2 Ad hanc autem separationem necessarium est iudicium Eccesiæ constituendum. cap. plerunq;. de donat. inter vir & vxor. cap. porrò. de diuort. quibus iuribus probatur maritum propria authoritate vxorem dimittere non posse. Couar. d. loco.

Est enim adulterium crimen Ecclesiasticum, quando agitur ad separationem thori. Ioan. Andr. in cap. fin. in fin. de foro compet. in 6. & clem. dispendiosam. de iudic. Spec. de compet. Iud. adit. §. 1. vers. in causis Ecclesiasticis & vers. 18.

3 Pendente verò iudicio super adulterio, non habet locum separatio thori, & alter coniugum accusatus, iure quod habet in altero, antè probatam accusationem, priuari non potest, neq; sufficit probatio, sententia non lara cap. 2. vbi Alan. Ioan. Andr. & Abb. vt lit. pend. Neq; huic dicto obstat cap. tenor, de sent. & re iudic. & cap. veniens. de regularib. ubi lite pendente interdicitur carnale commercium. Quia breuiter respondetur, quod in dictis duobus capitib. contractum fuerit Matrimonium lite pendente, sicq; possessio non erat iure approbata, sed in d. cap. 2. lis reperit coniuges inquieta possessione i. ta Abb. in d. cap. 2. ut lit. pend.

4 Sed hîc oritur elegans quæstio: An maritus vxorem propter notorium adulterium possit propriâ autoritate à se expellere, & an sic expulsæ competat interdictum vnde vi, vel Recuperandæ possessionis. Huic quæstioni respondet Abb. in d. cap. fin. de adult. affirmatiuè scilicet Maritũ id posse, atq; ob id vxori adulteræ à se ita eiectæ nõ cõpetere prædicta interdicta, cui⁹ responsio ꝓbat

per cap. significasti. de Diuort. & per glos. in d. cap. fin. Quæ etiam comprobari potest ex eo, quod agenti interdicto vnde vi, in Matrimonio, & sic petenti se spoliatum restitui, obstet exceptio deficientis iuris, si notoria sit, per text. in cap. literas. de restit. spoliat. ex quo Abb. ibi notat vxorem spoliatam minimè esse restituendam, si probatio consanguinitatis in continenti offeratur:

Nam si fieret restitutio & sequeretur carnalis copula, mortaliter peccaret is, qui sciens Matrimonium non valuisse, debitum redderet. ita ex Abb. Couar. d. §. 5. nu. 9.

Verum Couar. d. §. 5. nu. 12. in hac quæstione contrarium asserit, quod & mihi melius probatur, nempe 5 non posse maritum vxorem suam etiam ob notoriam fornicationem absq; iudicio Ecclesię propria authoritate ab eius consortio expellere, ad quod est text. in d. cap. porrò. de diuort. licet possit debitum coniugale ei negare, quod etiam liceret propter occultum adulterium ut docet idem Abb. in d. cap. fin. & in d. cap. ex parte. S. Thom. in 4. sent. dist. 35. q. 1. art. 3. & Palud. in 4. sent. dist. 27. q. 4. art. 2. & dist. 35. q. 1. art. 4.

6 Nam diuortium quo ad thorum tantùm propria authoritate fieri potest, modo coniunx alterius coniugis adulterium vere nouerit: At verò diuortium quo ad cohabitationem quia res est publica, & quæ cæteros scãdalizare potest, non potest fieri, nisi Ecclesiæ iudicio. d. c. porrò. Robert. Bellarm. lib. 1. de matrim. sacram. cap. 14.

Sed nec iura ab Abb. adducta probant maritum posse propria authoritate suam vxorem ob notoriam adulterium à domo eijcere, imò contrarium not. Antõ. in d. cap. fin. & glos. in c. 1. 32. q. 1. & S. Thom. d. art. 3. dicit

dicit maritum non posse sibi ius dicere quo ad habitationis separationem. Idem etiam asserit Syluest. in verb. diuortium q. 8. nu. 11. Opinio tamen & responsio Abb. & glos. in d. cap. fin. procedere potest, quando vel vxor esset in iudicio crimen confessa, vel publicè cum adultero moraretur. ut not. alleg. glos. in d. c. 1. 32. q. 1.

Ex his tamen non sequitur concedendam esse restitutionem, quo ad copulam, data fornicatione notaria, etiam si maritus temerè, & absq; iudicio Ecclesiæ vxorē à se expellat, quinimò neq; ad mutua obsequia spoliat⁹ coniunx restituendus est, existente notorio iuris defectu. text. in d. cap. significasti. de diuort. Couar. d. loco. nu. 12.

Cæterum maritus propter fornicationem ab vxore perpetratam, si ea notoria sit, religionem inuita vxore ingredi potest, cùm sit solutus à seruitute vxoris, quæ nō potest debitum exigere. c. Agathosa. & ibi glos. verb. cōuersionis. 27. q. 2. Abb. in cap. cū sis. de conuers. coniug. Vxor verò ante latam sententiam diuortij marito inuito religionem intrare non potest, & marito innocenti petenti reconciliari debet. 7

Quia quod in fauorem innocentis introductum est, in illius damnum retorqueri non debet. l. quod fauore. C. de Legib. Imò etiam post latam sententiam potest innocens reum inuitum reconciliare, nec potest reo inuito religionem ingredi. glos. d. cap. ex literis. de diuort. Syluest. verb. diuortium q. 10. nu. 13. Vbi tres enumerat casus, quibus nocens licitè Monasterium ingredi potest.

Primò cum licentia innocentis. Secundò si innocens ipsemet ingressus sit & professus. Tertiò, similiter 8

de adulterio condemnata vel publicè deprehensa, in Monasterium ad perpetuam pœnitentiam detrudatur, & eam maritus emendatam inter biennium ad se recipere noluerit. cap. gaudemus. de conuers. coniug. & ibi Abb. ita Syluest. d. loco.

9 Sed quæret hîc aliquis, quare Christus Matth. 19. dixerit non posse coniugē dimitti, nisi causa fornicationis, cùm tamen possit dimitti ob alia crimina? Huic obiectioni eleganter respondet Bellarm. allegato cap. 14. inquit enim, Christum ob duas causas excepisse solam fornicationem. Prima causa est: Quia sola fornicatio est propria ratio solutionis Matrimonij; cæteræ autem cōmunes sunt Matrimonio cum alijs omnibus confœderationibus: Nam propter heresin, vel inductionem ad peccandum, non solùm separari debet coniunx à coniuge, sed etiam filius à patre, frater à fratre, seruus à Domino &c. Quo circa Dominus istas causas nō exclusit, quas sciebat esse communes, sed exclusit eas omnes, ob quas cæteræ confęderationes non dirimuntur, excepta fornicatione. Ratio autem huius est: Quia sola fornicatio directè opponitur fidei coniugali, & substantiæ ipsius Matrimonij, cætera autem crimina per accidens se habent ad Matrimonium. Secunda causa est: Quia Dominus loquebatur de dimissione non ad certum tempus, sed perpetua: Nam de hac loquebantur, qui eum interrogauerunt. Porrò causa perpetui diuortij nulla est nisi fornicatio; propter fornicationem enim coniugis, etiam si tantùm semel ea perpetretur, & mox qui peccauerat, resipiscat, liberatur alter coniunx à debito reddendo per omnem vitam. At propter alia crimina non liberatur, nisi ꝑ eo tempore, quo durant ea crimina: si enim coniunx, q

coniu-

coniugem ad peccandum inducebat, resipiscat, & seriò conuertatur, tenetur coniunx eum recipere, eiq; affectu maritali cohabitare, quia ista crimina, per accidens opponuntur Matrimonio, at fornicatio per se opponitur & ideò statim, atq; coniunx fornicando frangit coniugi datam fidem, quia non stat promissis, cadit à iure coniugij nec habet amplius in coniugem vllum ius. hactenus Bellermin.

His & illud notatu dignum addendum est: Diuortium ob adulterium quatuor de causis posse fieri illicitũ. 10 Primo si fornicatio fuerit sine crimine, & proinde non fuerit nisi materialis, ut si mulier vim passa fuerit c. ita ne & c. proposito animi 32. q. 5. l. si vxor §. si quis planè, & l. vim passam. ff. ad l. Iul. de adult. aut ex ignorantia cum eo rem habuerit, quem virum suum esse credebat, cum tamen esset alienus. c. in lectum. 34. q. 2.

Secundò si vterq; coniunx eodem crimine teneatur. d. cap. fin. de adult. & d. cap. ex literis de diuort. & 32. q. 6. per tot. Imò si vir perpetrasset adulterium occultè, & vxor manifestè, vir sine peccato vxorem dimittere non posset: Quia vxori non deficit ius excipiendi, sed probatio. S. Thom. in 4. sent. dist. 35. Syluest. d. verb. diuortium q. 9. nu. 12.

Tertiò si post cognitum adultetium coniugis, cum eo rem habuerit. glos. communiter approbata in d. cap. fin.

Quartò: adulterandi occasionẽ coniugi præbuit, c. discretionẽ, de eo q cogno. consang. vxor. suæ. aut tolerat & passus est vxorem, postquã sciuit eã adulteratã fuisse c. si quis vxorem. 32. q. 1. secus si ei dedisset occasionem adulterandi indirectè, expellendo scilicet eam,

vel

vel necessaria denegando. Non enim est ignoscendum ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam agit l. palam. §. non est. ff. de ritu nupt. Syluest. iam d. loco.

## Ex Capite tertio summarum.

1 *Propter hæreseos crimen Matrimonium quo ad thorum & cohabitationem dirimi potest.*

2 *Causa diuortij propter hæresin fundata est in præcepto Apostolico ad Tit. 3.*

3 *Propter hæresin num Matrimonij vinculum dissolui possit.*

4 *Dos vxoris hæreticæ, cui sit adiudicanda, marito ne an fisco?*

5 *Bona sagarum combustarum an confiscentur.*

6 *Catholicus ab hæretico præmisso Ecclesiæ iudicio separatus, an cogendus sit ad cohabitandum cum conuerso, & an eo inuito religionem ingredi possit?*

7 *Catholicus ab hæretico propria authoritate diuertens cogendus est alteri pœnitenti debitum reddere, & cætera Matrimonij iura.*

## CAPVT TERTIVM.

TERTIA causa dirimendi coniugium est fornicatio spiritualis, id est, hæresis. Nam si alter ex coniugibus hæreticus sit, vel in hæresin labatur, separari potest Matrimonium quo ad thorum cap. 2. de diuort. cap. fin. de conuers. coniug. [1]

Et hæc diuortij causa fundata est in Apostolico præcepto, ad Tit. 3. ubi dicitur: Hæreticum hominem post [2] vnam

vnam & ſecundam correctionem de-uito. Quibus verbis Apoſtolus de omnibus generatim loquitur, neq; cōiuges aut parentes excipit.

Nec obſtat text. in cap. quanto. de diuort. vbi dicitur. Celeſtinum Pontificem ſenſiſſe, Matrimonium quo ad vinculum diſſolui poſſe, ſi alter coniugum labatur in hæreſin: Quia reſpondetur, allegatum textum in d. cap. quanto ita intelligendum eſſe, ut quidem Celeſtinus id priuata opinione, ſeu particulari iudicio ſenſerit, non tamen legem ſanxerit, neq; veluti certum definierit. Couar. 4. lib. decretat. de ſponſalib. 2. part. cap. 7. §. 3. nu. 5. Idem reſpondet Bellarm. Tom. 1. 3. controuerſ. general. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. Quare nec propter hæreſin matrimonium quo ad vinculum diſſolui poteſt, nec Celeſtinus ſummus Pontifex alicuius erroris argui poteſt, neq; multò minus reliqui Pontifices alicuius contradictionis notari poſſunt. Sed & concilium Trident. anathemate damnat eos, qui audent dicere, ꝓpter hæreſin Matrimonij vinculum diſſolui poſſe. ſeſſ. 24. de ſacram. Matrim. c. 5. 3

Verū hîc nō inutiliter quæritur: An coniunx dotē vel donationē ꝓpter nuptias ob crimen hæreſis amittat & ſi amittat an Catholico viro ſit applicāda. Ad q̄ quæſtionem breuiter reſpondetur, vxorem lapſam in hæreſin perdere dotem, eamq; non viro Catholico, ſed fiſco adiudicari. Cardin. in d. cap. fin, Quod probatur argum. text. in l. quinq; legibus. ff. de bonis damnat. ubi in crimine læſæ maieſtatis fiſco addicitur dos vxoris illud crimen committentis. Igitur idem erit in crimine hæreſis, cap. Vergentis. de hæretic. Couar. d. cap. 7. §. 5. nu. 5. 4

Ex hac reſponſione infertur etiam reſponſio ad

quæstionem, qua quæri solet: An dotes & bona strigum seu sagarum combustarum de Iure confiscari possint, infertur inquam responsio affirmatiua. Ratio est: Quia pro crimine hæresis imponitur ipso iure confiscatio bonorum omnium d. c. vergentis. & cap. excommunicamus. §. damnati. de hæretic. etiam existentibus liberis L. Gazaros C. de hæric. & glos. in d. cap. vergentis. verb. exhæredatio. sed sagæ & malaficæ committunt crimen hæresis, & quidem maximum. Panor. in cap. 1. de sortileg. Paul. Grilland. lib. 2. de sortileg. q. 10. nu. 5. 10. & 17. Phillipp. Franc. cap. accusatus. §. sanè de hæretic. in 6. Alfons. à castro lib. de iusta hæreticor. punit. cap. 16. prope fin. Iul. Clar. receptar. sent. lib. 5. §. hæresis. vers. successiuè quæro.

Verùm consuetudo pœnam conficationis bonorum strigum & maleficiorum non seruat, teste Iulio. Claro d. loco. Et hanc consuetudinem vsu & praxi Germania approbat. Nam hæredibus sagarum combustarũ bona ex misericordia quadam & vniuersali totius Germaniæ consuetudine relinquuntur.

Cæterùm Matrimonio ex causa hæresis separato 6 non est Catholicus coniunx cogendus ad cohabitandũ cum altero in hæresin lapso, etiam si is ad gremium Ecclesiæ redierit, uti aduers. glos. & Abb. expresè not. in d. cap. fin. de conuers. coniug. & in cap. de illa. de diuort. per text. ibi, cui subscribũt Alfons. à Castro de iusta hæretic. punit. lib. 2. cap. 7. & Couar. supra citato loco. & hoc ipsum intelligunt, quando Catholicns ab hæretico. præmisso Ecclesiæ iudicio, quæ ipsum hæreticum esse declarauit, discessit.

Quo casu liberè potest Catholicus, etiam nolente

coniuge,

coniuge, qui ab hæresi reuersus est, religionem ingredi d. cap. fin. Verùm si propria authoritate Catholicus 7 ab hæretico diuerterit, cogendus erit alteri pœnitenti debitũ reddere ac cętera Matrim. iura. Hac tamẽ in causa non est necessaria peculiaris diuortij sententia per text. in cap. ult. de hærecic. & in d. cap. de illa. & d. cap. fin. Couar. d. loco. An autẽ inter Catholicum & hæreticum Matrimonij vinculum contrahi possit. dixi supra, prima parte cap. 3. nu. 34. vbi vide. Et hæc de fornicatione spirituali dixisse sit sutis.

## Ex Capite quarto summarium.

1 *Sodomiæ crimen iustam causam præbet diuortio quo ad thorum.*

2 *Peccati contra naturam quatuor species.*

3 *Sodomiæ criminis in sacris literis epitheta.*

4 *Sodomiæ crimini, quæ pœna de Iure diuino, & quæ de Iure Ciuili, sit præstituta. & nu. nu. 5.*

6 *Contra naturam peccantes à Iure Canonico excommunicantur.*

7 *Vxor tentata à viro proprio ad vsum contra naturam diuortium petere potest.*

8 *Coniunx discedere potest à cohabitatione alterius coniugis, à quo impellitur in peccatum mortale.*

### CAPVT QVARTVM.

QVARTA causa, ob quam coniugij diuortium, quo ad thorum peti potest, est peccatum 1 contra naturam, seu crimen Sodomiticum c.

omnes causationes 32. q. 7. quod crimini hæreseos non iniuria adiungi potest. Hancq; legitimam diuortij causam asserunt Calderin. Anto. Abb. & Anan. in cap. maritis de adult. Syluest. in verb. diuortium. q. 7. nu. 10. Couar. 4. lib. decretat. 2. part. cap. 7. §. 5. nu. 6. vbi hanc ex verbis Diui Ambrosij in 1. Corint. 7. deducit. Et hanc communem esse opinionẽ tradit Abb. in d. c. maritis, & Barbat. Consil. 64. vol. 1. & Couar. iam d. loco. Hoc crimen Sodomiæ vtroq; in sexu passiuè dicitur committi posse c. vsus 32. q. 7. Abb. in cap. in archiepiscopatu, de raptorib. post. glos. in d. c. omnes causationes. Sciendum tamen hîc est, omnem inordinatam seminis effusionem extra vas ad gerandum ordinatum appellari generaliter peccatum contra naturam Ioan. Nider in 6. præcepto Decalogi, Auth. Vt non luxurientur contra naturam collat. 6.

2 Huius peccati sunt quatuor species. Prima dicitur immundities, vel mollities. Secunda innaturalitas, quæ prima peior est. Tertia Sodomia, quæ secunda peior est, ut cum masculus cum masculo concubit, dicta ideo sic quod à Sodomis traxerit originem.

Et hæc Sodomia etiam cum fœminis flagitiosè cõmittitur. d. c. vsus 32. q. 7. Couar. d. §. 5. nu. 7. Quarta bestialitas, quæ tertia peior. Et hæ species vno vocabulo appellantur peccatum contra naturam, & semper alia est peior & grauior. S. Thom. 22. q. 54.

3 Hoc crimen Sodomiæ (de hac enim tertia specie hîc ago) in sacris literis Genes. cap. 37. & 38. dicitur pessimum crimen, detestabile crimen. Dicitur etiam nefandum, eo quod ne nominandum quidem sit, ne os dicentis, & aures audientium polluantur c. in eo fornicator

cator.32. q.4. Hinc imperator in l. cum vir nubit. C. ad l. Iul. de adult. qui erubescens de hac re mentionem facere, adeò obscurè loquitur, quod vix intelligi possit.

4 Huic crimini Sodomiæ de iure diuino pœna mortis est præstituta: dicitur enim Leuitici 20. cap. morte moriatur, qui operatur hoc nefas. Propter hoc flagitium punivit Deus mundum diluuio, eo quod omnis caro corruperat viam suam (per quæ verba sancti Doctores hoc crimen Sodomiæ intelligunt) Genes. 6. & 7. Propter hoc crimen Sodoma & Gomorra, & earum regio sulphure & igne absumptæ sunt. Genes. cap. 19. Propter hoc peccatum ceciderunt in prælio de tribu Benjamin vigintiquinq; millia pugnatores ad bella promptissimi Iudic. cap. 20.

5 De Iure Ciuili huic sceleri pœna quoq; mortis, & quidem gladij est præstituta. d. l. cum vir nubit. ubi Constantinus Imperator iubet in surgere leges, & armari iura gladio contra huiusmodi facinorosos homines, qui audent naturæ ordinem peruertere. & Bald. iu summario d. l. cum vir nubit. dicit, quod pro peccato contra naturam pœna capitis imponatur. Sed & Imperator Iustinianus in genere contra naturam luxuriantes gladio ferire iubet. d. Auth. vt non luxur. contra nat. ubi glos. verb. supplicijs, exponit mortem per l. ult. ff. de pœnis.

Quod si vir hoc nefandũ crimẽ cũ fœmina eo cõmiserit modo, quo cum viris à Sodomitis perpetrari solet, similiter illud flagitium pœna ordinaria, nempe capitis, erit puniendum, cum illud non minus sit scelus, ac si cum viro fuisset perpetratum, & proinde vera est Sodomia. Verùm si fœmina viri officio fungens, aliã

ſubegerit fœminam, illud crimen non ordinatia pœna, qua cum viris commiſſum puniretur, puniendum eſt. Couar. d. §. 5. nu: 7. tametſi Salicet. in l. fœdiſſiman C. ad l. Iul. de adult. & Nicol. Boër. in ſuis deciſionib. aureis deciſ. 316. in 2. part. col. ult. arbitrentur, hoc crimen uti propriam Sodomiam puniendum eſſe.

6 Eccleſia verò etiam contra Sodomiticos procedit cũ huiusmodi crimẽ ſit contra naturẽ, quo caſu Eccleſia vendicat ſibi poteſtatem non ſolùm contra Laicos, verùm etiam in fideles. Nã Sodomitas puniuit Deus, licet non eſſent de populo electo & Iſraëlitico. Geneſ 19. Ergo eodem modo eius Vicarius eos punire poteſt, nimirum pœna excommunicationis. cap. Clerici. de Exceſs. prælat. & ſubdit.

Quod ſupra dixi diuortium quo ad thorum ob pec- 7 catum Sodomiticum peti poſſe, hoc adeò verum eſt, ut vxor, ob peccatum Sodomiricum non ſolùm ã viro ſuo cum alio, aliauè commiſſum, diuortium petere poſſit, ſed etiam ſi illa ipſa fuerit à viro tentata ad vſum contra naturam, ex D. Ambroſ. 1. Corinth. cap. 7. quod etiam tenet Barbat. in d. conſil. 64. vo'. 1. quem ſequitur Dec. in l. 1. nu. 8. C. de ſecund. nupt. refert & ſequitur Couar. d. §. 5. nu. 6. Et quod dixi vxorem tentatam à marito ad vſum contra naturam diuortium quo ad thorum petere 8 poſſe, illud extenditur ad aliud quod libet peccatum mortale. Nam alter coniunx diſcedere poteſt à cohabitatione alterius coniugis, à quo inducitur in aliud peccatum mortale, nec poteſt ab in ducendo retrahi. Palud. in 4 ſent. diſt. 39. q 1. col. fin.

Et de hoc loquitur Chriſtus in Euangelio, Matth. 18. Si oculus tuus ſcandalizat te erue eum. In quem lo-

cum

cum scribens S. Hieronimus, docet sententiam Domini esse, ut si ij, qui nobis coniuncti sunt., & chari instar oculorum, ut parentes filij, vxor, causa sint ruinarum, ab ijs recedamus. Quia si coniunx non tenetur coniugi cohabitare cum periculo corporis. cap. ex transmissa. & cap literas. in fin. de restit. spoliat. multò minus cum periculo animæ. Hic tamen obiter notandum est, si coniunx ꝓpter alterius coniugis crimina non timeat probabiliter sibi corpori, vel animæ, coniugem de relinquere non debet, etiam incorrigibilem, nisi sit fornicatio carnalis, etiam semel commissa: vel spiritualis, in qua sit incorrigibilis. Et sic intelligendum est. cap. 2. de diuort. assertore Syluest. verb. diuortium. q. 6. nu. 9

## Ex Capite quinto summarum.

1 *Sicut coniunx non tenetur cum periculo animæ coniugi cohabitare, ita nec cum periculo coporis.*

2 *Sæuitia iusta causa separandi Matrimonium quo ad cohabitationem, si maritus non præstet sufficientem cautionem de non offendenda vxore.*

3 *Quæ dicatur sufficiēs cautio hoc loco, relinquitur arbitrio discerti Iudicis.*

4 *Si tanta sit mariti sæuitia, ut mulieri trepidanti sufficiens cautio præstari non posiit, fit separatio.*

5 *Satisdatio maleuolum propositum non mutat.*

6 *Maritus an teneatur præstare cautionem de non offendenda vxore, si sæuitia facto & culpa vxoris proveniat, & vxor in posterum sæuitiam metuat.*

7 *Maritus*

7 *Maritus, non obstante cautione, potest vxorem modicè castigare.*

8 *Vxori acriter & iniquè á marito verberatæ, an actio iniuriarum contra maritum competat?*

9 *Vxor an debeat cauere, si eam maritus timeat?*

10 *Machinatio in mortem coniugis alterius, iusta causa diuertij.*

11 *Maritus vxori à domo sua expulsæ, vel ob suam sæuitiã aufugienti, an alimenta præstare teneatur?*

12 *Vxores beneuolè & comiter tractandæ.*

## CAPVT QVINTVM.

SVnt præter superioribus capitibus recensitas causas, alij casus, quibus Iure Pontificio ex legis diuinæ interpretatione deductis licita sit quo ad thorum & cohabitationem Matrimonij separatio.

1 Quia quemadmodum coniunx non tenetur cum periculo animæ coniugi cohabitare, uti in fin. superioris capitis dixi, ita nec cum periculo corporis cap. ex trãsmissa. & cap. literas. in fin. de restit. spoliat.

2 Vnde quinta causa diuortij, quo ad mutuam cohabitationem, est nimia mariti sæuitia, si enim is erga vxorem nimiũ sæuiat, eamq; durè tractet, neq; reddat sufficientem cautionẽ de non offendenda vxore, licitè vxor separationem à marito, quo ad cohabitationẽ peterepotest. cap. 1. ut lite non contest. d. cap. literas. in fin. ubi Abb. idem, & Præpos. in cap. 1. de diuort. l. consensu C. de repud.

Etsi autem dicatur sufficiens cautio, quæ fit datis pignori-

pignoribus, vel fideiussoribus, secundùm glos. in d. cap. extrāsmissa de restit. spoliat. & l. si mandato. §. fin. ff. mādati. l. ergò. §. adijci. ff. de fideicom. lib. relinquendum tamen hoc casu est arbitrio discreti & circumspecti Iudicis, quæ dicatur hac in re cautio sufficiens, qui arbitrabitrabitur, an & quando sit tanta sæuitia, ut non possit ꝓvideri remedio cautionis. Abb. in d. cap. literas. nu. 7. Nec tantum consideranda est in hac causa malæ tractationis præterita sæuitia, sed & timor futuræ est aduertendus. 3

Vnde si tanta sit mariti sæuitia, ut mulieri trepitanti nō possit sufficiens cautio & securitas præstari, non solū ei restitui non debet, sed potius ab eo separari. text. expressus in d. cap. literas in fin. & in d. cap. ex transmissa. & ibi Abb. glos. in c. de Benedicto. 32. q. 1. quę subijcit rationē: Quia satis datio maleuolum propositum non mutat. §. penult. Instit. de suspect. tutorib. 4 5

Verùm hîc oritur dubium, si quando huiusmodi viri sæuitia, facto & culpa vxoris proueniat, & vxor in posterum metuat sæuitiam, an maritus nihilominus adhuc teneatur præstare cautionem de ea nō offendenda. Respōdet Abb. post text. in d. cap. ex transmissa affirmatiuè. Etenim hæc cautio præstatur ex noua causa, hoc est ob sęuitiam, quæ timetur, facit d. c. de Benedicto, cum ibi not. 6

Potest tamen maritus non obstante cautione vxorem modicè castigare, sicut & prius poterat, per ea quæ dicuntur in cap. quemadmodum, de Iureiur. & glos. in c. sicut alteri⁹. 7. q. 1. Quia tunc nō dicitur inferre violentiā. cum id iure permittente faciat. arg. c. placuit. 33. q. 2. & c. qui peccat. 23. q. 4. & l. Gracchus C. ad l. Iul. de adult. 7

Sed quæstionis est, utrum vxori acriter & iniquè à 8 marito verberatæ actio iniuriarum contra maritum cõpetat. Ad hanc quæstionem breuiter negatiuè responderur. Ratio est: ne maritus infamis efficiatur. Potest tamẽ vxor agere actione in factum, ut maritus puniatur. Couar. 4. lib. decretal. de sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 5. nu. 1.

Verùm hîc alia exurgit quæstio, si maritus vxorem 9 timeat, an debeat vxor cauere? Ad hanc quæstionem respondet Abb. in cap. 1. de Diuort. affirmatiuè. Cuius responsionis ratio esse potest: Quia & vir Propter sæuitiam vxoris diuortium quo ad cohabitationem petere potest, quod probatur expresso textu in Auth. sed nouo Iure vers. aut manus audaces probauerit sibi ingerentem C. de repnd. Nam vir & vxor in causa matrimonij ad imparia non iudicanrur. arg. c. si quis vxorem 32. q. 1. cum mul. similib. Ad quod etiam facir trita illa regula. Quod statuitur in vno relatiuorum, statuitur & in altero l. fin. C. de indict. vid. toll. Igitur & vxor cauere debebit.

Quod dictum est de nimia sæuitia viri, idem locum habet in insidijs. Vnde iusta diuortij causa erit, quando 10 alter coniugnm alteri coutinuis insidijs mortem machinatur, ut quia vxor insidiatur vitæ mariti tentando eum veneno occidere secundum Canon ist. in d. cap. 1. Abb. in d. cap. quemadmodum, in fin. de Iureiur. Hippol. in l. vnic. col. penult. C. de raptu virg. text. ad hoc in d. l. consensu cum adiuncta d. Auth. sed nouo Iure. Ex quo infertur falsam esse glos. in cap. 2. de diuort. dicentem non dimittendam esse vxorem etiam si vitæ mariti fuerit insidiata, nisi dicamus, eam loqui de dimissione quo ad vinculum, quod vix admitti potest, cum d. cap. 2. loquatut de separatione quo ad thorum, & cohabitationem, uti intuenti patet.

Est

Est tamen hîc obiter notandum, quod maritus, 11 quando vxorem de domo expulit, vel vxor ob eius sæuitiam aufugiat ab ipso, teneatur extra domum ꝓpriam in honesto loco ei præstare alimenta, quando scilicet propter mariti culpam abest, secus si sua culpa. Cyn. & Bald. in l. quod in vxorem. C. de negot. gest. idem Bald. in l. 1. col. 2. C. commun. de legat.

Hinc cautè & comiter debent mariti tractare vxores. Si quidem vxor, licet viro sit subiecta, non tamen ut 12 famula, sed ut socia & collateralis: & ideo ipsa quoq; in domo principatum habet. Nam Deus ideò eam non ex capite, neq; ex pedibus, sed ex latere viri formauit, ut neque dominetur viro, neq; subijciatur instar ancillæ, sed socia sit & collateralis S. Thom. 1. part. q. 92. art. 3. Quod etiam testantur honorum vocabula. Regum enim vxores Reginæ, & Augustorum Augustæ appellantur.

## Ex Capite sexto summarium.

1 *Furor alterius coniugis causam præbet diuortio.*

2 *Cum periculo corporis coniunx alteri cohabitare non tenetur.*

3 *Qualis furor requiratur, vt coniunx à coniuge furioso discedere possit.*

4 *Propter delictum mariti, an vxor diuortium quo ad cohabitationem petere possit.*

5 *Propter morbos contagiosos & incurabiles an diuortiũ fieri possit.*

6 *Ob prodigalitatem mariti, an vxor diuortium petere possit.*

7 *Maritus dotẽ vxoris alienare vel obligare nõ potest.*

8 *Item nec donationem ꝓpter nuptias.*

9 *Bona mariti vxori pro dote, donatione propter nuptias & alijs rebus paraphernalibus tacitè sunt obligata.*

10 *Vxor dotem & bona sua paraphernalia à marito vergente ad inopiam repetere potest. & nu.* 11.

12 *Dos exacta propter viri inopiam, consignatur & sequestratur.*

13 *Vxor cùm ad rem domesticam gerendam apta fuerit, dos in casu inopiæ mariti exacta, non sequæstratur.*

14 *Diuortio facto apud quem liberi ali & educari debeant.*

## CAPVT SEXTVM.

1 SEXTA causa dissoluendi Matrimonium, quo ad thorum, est amentia & furor ardens ac vehemens, ut periculum esset cohabitare cum coniuge furioso. Couar. 4. decretal. de sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 5. nu. 3. Martin Nauar. in Enchirid. 2 cap. 22. nu. 22. Probatur hęc causa ratione & iuribus supra in principio capitis quinti allegatis: Quia sicut coniunx non tenetur cum periculo animæ alteri coniugi cohabitare, ita etiam non tenetur cum periculo corporis alteri conuiuere.

Dixi (ardens ac vehemens) quia si furor non esset 3 vehemens, & talis, qui probabile mortis periculum non induceret, coniunx à coniunge furioso discedere non posset. c. hi qui Matrimonium sani. 32. q. 7.

Cæterùm dubitari posset ac quæri, an præter enumeratas hactenus causas, quibus diuortium quo ad thorum & cohabitationem fieri potest, aliæ sint, ut an propter delictum viri vxor diuortium petere possit? Item an

an propter morbos contagiosos & incurabiles, ut leprã elephantiasin aliasq; ægritudines & infirmitates, diuortium quo ad thorum & cohabitationem fieri possit? Deniq; vtrum ob prodigilitatem viri vxor petere possit diuortium?

Ad primam quæstionem breuiter respondeo, qđ propter mariti delictum vxor non possit petere diuorti- 4 um quo ad cohabitationem. cap. 2. de diuort. nisi maritus sit fur, & nolit à furando abstinere, vel vxorem etiam in delictum, aut aliud peccatum mortale conetur inducere, hoc enim casu potest vxor à marito fure, vel inductore in delictum aut aliud peccatum mortale, quo ad cohabitationem discedere Palud. in 4. sent. dist. 39. q. 1. qua de re etiam supra 1. part. cap. 4. nu. 23. & hac 2. part. cap. 4. nu. 8. egi.

Ad secundam quæstionem, an propter morbos cõtagiosos & incurabiles, ut lepram &c. diuortium quo 5 ad thorum & cohabitationem fieri possit, respondeo negatiuè per text. in cap. 2. & ibi Panor. de coniug. lepros. & text. in d. c. hi qui Matrimonium sani.

Hæc tamen responsio intelligenda est cum moderamine & mica salis. Nam etsi sanus teneatur debitum coniugale reddere lepra vel alio morbo contagioso & incurabili infecto, tamen quando probabiliter timeret ob id periculum mortis, aut grauis infirmitatis, vel etiam similis infectionis incurrere, reddere non tenetur. Ordinata enim charitas à se ipso incipit. cap. nisi. & quę ibi not. de auctor. & usu. pal. cum similib. Quare cap. 1. de coniug. lepros. & d. cap. 2. eod. tit. quæ iubent, ut leprosi coniuges coniuncti viuant, cum hoc moderamine intelligenda sunt, vt procedant, & habeant locum, quã-

do ex debiti redditione, & cohabitatione sano ne nullũ mortis grauis infirmitatis, vel similis infectionis periculum immineret: si enim hoc sano immineret, nec reddere debitum, nec cohabitare leproso teneretur. ita post Palud. in 4. sent. dist. 32. q. 1. & Caiet. in summa, verb. Matrimonium part. 2. Syluest. verb. debitum coniugale. q. 2. & Martin. Nauar. in Enchirid. cap. 16. nu. 15.

6 Ad tertiam quæstionem respondeo itidem negatiuè scilicet, quod propter prodigalitatem viri vxor non possit petere diuortium.

Ratio est: Quia hæc causa in iure non est expressa, erubescimus enim sine lege loqui, Vulgato §. consideremus. & ibi glos. in Auth. de trien. & semiss. collat. 3. & hęc diuortij materia tanquam odiosa potius est restringenda quàm extendenda cap. odia, de reg. iur. in 6. cum similib. Deinde mulieri alijs modis de sua dote, reliquisq; bonis consultum & prouisum est.

7 Nam in primis vxor suam dotem habet saluam ex lege, ita ut maritus eam alienare, vel obligare non possit, Instit. quib. alienar. lic, vel non in princ. & l. vnic. §. cum lex C. de rei vxor. act. l. 4. & tot. tit. ff de fund. dotali, nisi vxor cum iureiurando consentiat in dotis, vel fundi dotalis alienationem, quo casu valeret alienatio, vel obligatio. cap. cùm contingat, de Iureiur. & cap. licet. eod. tit. in 6.

8 Et non tantùm dotem, sed nec donarionem propter nuptias maritus alienare vel obligare potest. Auth. Siue à me C. ad 5. c. Velleian.

9 Hinc etiam bona mariti tacitè obligata sunt vxori non solùm pro dote d. l. vnic. §. & ut plenius, & §. fuerat, Instit. de action. cum similib. sed etiam pro dona-

tione

tione propter nuptias, nec non alijs rebus paraphernis, siue paraphernalibus.text.in l. ubi adhuc.C. de iure dot. Castrens.in l. si constante.ff. solut. matrim. Zas. in d. §. fuerat. Abb.in cap. ex literis, nu. 9. de pignor. & alijs hypothec.

10 Preterea mulier dotem à marito vergente ad inopiam exigere & repetere potest, siue vergeat ad inopiam ex delicto, culpa vel sine culpa sua. text. in d. l. si constante & d.l. ubi adhuc, text. in cap. per vestras. de donat. inter vix & vxor. & utrobiq; glos. in verb. ad inopiam.tex. in l. in rebus §. omnis C. de Iure dot. Et ratio est: Quia quo ad actionis exercitium siue dotis exactionem à pari procedunt, Matrimonium esse dissolutum, vel maritum constante matrimonio vergere ad inopiam. text.in d.l. ubi adhuc. Ias. in d.l. si constãte n.17.&19. Bart. & alij ibi.

11 Et hoc ampliatur, ut vxor non solùm dotem, sed etiam bona parapherna, siue paraphernalia, quæ vxor marito ultra dotẽ dedit, repetere possit. d. l. vbi adhuc. Speculat.in tit. de donat.inter vir.& vxor.nu. 12. Castrens. & Ias. in d. l. si constante. Andr. Gail. practicar. obseruation. lib. 3. obseruat. 83. nu. 2. & 3. Insuper viro prodigo administratio propriorum bonorum à Iudice interdici potest. l. Iulianus. ff. de Curatorib. furios. & curator ei, ad similitudinem furiosi datur.

12 Dos autem vxoris constante matrimonio ob prodigalitatem seu inopiam viri consignatur, & deponitur, non ad eum finem, ut vxor eam alienare possit, sed ut ex fructibus maritus, vxor, liberi, & tota familia alantur, text. in d. l. vbi adhuc. Castrens. in d. l. si constante. nu. 3. Andreas Gail. obseruation. lib. 2. obseruat. 92. numer. 9.

Si

Si tamen vxor ſit induſtrioſa, & ad rem domeſticã apta, dos ad cauſam alimentorum ſequeſtrari non debet, ſed vxori non perdituræ dotis reſtitutio facienda eſt. per text. in l. mutus. §. manente. ff. de iure dot. Bart. in d. l. ſi conſtante. nu. 5. 84.

14 Sed quæſtionis eſt, diuortio facto, apud quem liberi ali & educari debeant. Ad hanc quæſtionem breuiter reſponderur: Quod Iudex competens æſtimabit perpenſis omnibus circumſtantijs, an liberi apud patrem, vel matrem diuortio facto morari vel educari debeant. l. Licet cum auth. ſeq. C. diuortio facto &c. quæ Auth. ita diſtinguit: Aut pater occaſionem diuortio præbuit, tũc liberi apud matrem ali debẽt, patre ſuppeditante expenſas & ſumptus: aut mater, tunc apud patrem, niſi pater minus idoneus ſit, id eſt, inopia laboret, matre bonis affluente, tunc enim apud matrem alendi ſunt concordat Auth. ut liceat matri & auiæ. §. illud. collat. 9.

## Ex capite ſeptimo ſummarium.

1 *Ob perpetratum adulterium ad dotis, & donationis propter nuptias priuationem agi poteſt.*

2 *Iura loquentia de vxore adultera, reſpectu pœnarnm ciuilium locum etiam habent in marito adultero.*

3 *Maritus, non exiſtentibus filijs, propter vxoris adulteriũ ex bonis, quæ præter dotem & donationem propter nuptias vxor habet, acquirit tantum, quantum æquiualet tertiæ parti dotis.*

4 *Vxor ob adulterium mariti, donationis propter nuptias ſolo vſufructu fruitur, proprietas liberis ſeruatur, ſi ex eo Matrimonio extiterint &c.*

5 *Adul-*

## CAPVT SEPTMIVM.

CÆTERÙM propter adulterium comissum non solum ad separationem thori & cohabitationis, sed etiam ad dotis, & donationis propter nuptias priuationem agi posse. Probatur vtri- 1

 usq;

ttiusq; Iuris texribus. text. expressus in cap. plerunq; de donat.inter vir.& vxor.& in l. consensu C. de repud. & 2 in l. cum mulier.ff.solut. matrim. Et omnia Iura, quæ de vxore adultera loquuntur, respectu pœnarum ciuilium locum etiam habent in marito adultero, quo ad causam enim Matrimonij vir & vxor (uti sæpe dixi) non iudicãtur ad imparia.cap. gaudemus, de Diuort.& c. si quis vxorem 32.q.1. Abb. in d. cap. plerumq;.idem in cap.1.ut lite non contest. Quod etiam apparet esse de mente Impatoris in d. l.consensu,& in §.quia verò plurimas, Auth. ut liceat matri & auiæ collat.8.& in §. si verò, in Auth. de nupt.collat.3. Idem videtur disponi in constitution. pænalib.Imperij.art.122.tradit Socin.Iuni.consil.32.col. 1.& 2. & Lodouic.Bolog.in consil.23. col. fin. vbi dicunt eandem pœnam seruari, si tractetur de lucranda dote, vel donatione propter nuptias vnius coniugis. Indubitatum igitur est, quod sicut vxor propter adulterium amittit dotem d.cap. plerumq; iunct glos.in verb.dotaltium & ibi Doct. Ita vir adulter amittit donationem ꝓpter nuptias ex regula ante tradira,& iurib. alleg. & in terminis tradit. glos. d. cap. 1. verb. reciperet, ut lite nõ contest. & glos.in l. 1.verb. violato.& ibi Salicet.col.1. C. ad l. Iul. de adult. ꝓbãtes hoc ꝑ text.d. l.cõsensu.§.si verò. Cardi. in c.fin.col.2.d.adult.Abb.in d.c.plerunq; nu.5.Iul.clar. recept.sent.lib.5.§.adulteriũ nu. 12.& 13.alijq; omnes.& est cõmunis & in dubita sentẽtia. Hic tamẽ notandũ est, 3 qđ nõ existentibus filijs, ꝓpter adulteriũ vxoris, ex bonis quæ p̃ter dotẽ, & donationẽ ꝓpter nuptias vxor habet, vir acquirat tantũ, quantum ęquiualet tertiæ parti dotis, text.in d.Auth. ut liceat matri & auiæ, §.qa verò plurimas quẽ text.not.Romã.in l.Luci⁹ ff.solut. matrim. & Guil. Mayner.

Mayner.in l.in abiguis ꝓ dotib. nu.250.ff.de reg.iur.Hęc tamen, ꝙ de amissione dotis, vel donationis ꝓpter nuptias dixi, ita accipiẽda sunt, ut si vxorem habeat adulter, solo usufructu vxor fruitur donationis ꝓpter nuptias, ꝓprietas verò secundùm leges liberis seruatur, si ex eo matrimonio extiterint, quã vna cum vsufructu post obitum matris, cui à iure dantur, consequuntur, text. in d. Auth. ut liceat matri & auiæ, §. quia verò plurimas: & §. si vir de adulterio glos. singular in d. cap. 1 ut lite non contest. 4

Verum filijs aut filiabus non existentibus ante nuptialis donationis proprietas mulieri competit. d. §. quia verò plurimas, cum §. seq.

Nec imputantur bona adulterium commitentis filijs in legitimam, quam ex bonis ipsius, qui bona illa propter adulterium acquisiuit habituri sunt, Bald. & Barbat. in d. cap. 1. nu. 64. Couar. 4. decretat. de sponsal. 2. part. cap. 7. §. 6. nu. 4. ex prædictis iuribus. 5

Nec maritus illa liberè capiet, nisi proportione, quæ cuilibet, filio prioris Matrimonij obuenerit. Bald. in l. hac edictali. col. 2. C. de secund. nupt. Couar. d. loco.

Et ampliantur hæc supra dicta, ut vxor non solùm propter adulterium commissum, sed etiam propter osculum alij quàm proprio marito datum, vel quia libenter perpessa sibi ab alio viro manus ad mammillas poni, amittat dotem priueturq; consortio coniugali. ita Bald. in c. tuæ. de ꝓcurat. quẽ referunt. Iul. Clar. de §. adulteriũ n. 13. & Couar. citato §. 6. nu. 3. ubi pulchram huius adducunt rationem. Etenim cum adulterium sit difficilis ꝓbatiõis, & oscula dicantur proxima & ferè immediata p̃paratoria adulterij, optimè statutũ esse ut mulier eo ipso 6

quod conuincitur osculum amatori dedisse, dicatur etiam de adulterio conuicta. Neq; Bald. hoc ex proprio cerebro finxit, ad hoc enim est text. in cap. 1. ubi idem not. Bald. col. 7. vers. quæro nunquid sit idem dicere. qb. mod. feud. amitt. in vsib. feud. glos. in l. 1. ff. de extraordinar. criminib. & in c. non oportet. 81. dist. & in c. nec aliqua. 27. q. 1. glos. per text. ibi in c. dixit Dominus verb. suspicio 32. q. 1.

7 Cæterum quod Doctores communi calculo pbant in docendo adulterio præsumptiones, & verisimiles cōiecturas, ut hoc loco oscula, & tactus impudicos, sufficere, hoc ita intelligendum est, ut huiusmodi præsumptiones probationes faciant in causa ciuili, quando agitur ad separationem thori & cohabitationis, nec non lucrum dotis, d. cap. tuæ. & de hac specie loquitur Pontifex in c. literis in de præsumpt.

At in iudicio criminali, in quo luce meridiana clariores probationes requiruntur. l. fin. c. de Probat. hui9-

8 modi præsumptiones non inducunt plenam probationem, neq; ad condemnandum sufficiunt.

Nam quæ in ciuilibus ad probationem sufficiunt, ea in criminalibus plenam non faciunt fidem. Dec. consil. 175. incip. in causa nu. 6. Atq; ita peritissimi quiq; criminalium causarū censent. ut Angel. in l. 2. ff. de furt. & in tract. malef. ad verbū. fama publica. nu. 22. Imol. in l. fin. ff. de hæred. instit. Gand. in tract. malefic. de p̄sumpt. nu. 23. Iacob. de Ballouis. in pract. tit. de Leno. in fin. Can. in cap. 2. de præsumpt. Matthesil. sing. 118. nu. 4. refert. & sequitur. Matth. VVesenb. in suis paratit. ad tit. ff. ad l. Iul. de adult. nu. 18. Pro quibus leges ciuiles faciūt, q in crimine adulterij longè apertiorem pbationem require-

quire-

requirere videntur.l.quod ait.in verb. in ipſa turpitudine deprehendat ἐν ἔργῳ & l. capite quinto,in verb.adulterum in vxore ſua deprehenſum, vbi gloſ. ad verbum accuſatori ff. ad leg. Iul.de adult.

Quin & ipſa lex Iudaica tantùm deprehenſum in ipſo adulterio punit.Leuitic.20.& Ioan.8.ubi Iudæi cupientes à Chriſto Domino, & Seruatore noſtro ſententiam in adulteram proferri, eiusmodi argumentum adferunt.hæc mulier modò in adulterio deprehenſa eſt, id eſt,in ipſo facto, ſeu opere adulterij, ut inficias ire non poſſit.Hæc ideò ſubiungo ut intelligatur ex ſuſpicionib' & præſumptionibus in adulterij crimine criminaliter intentato nihil eſſe ſtatuendum: ſi quis tamen quorundā errorem ſecutus,ex indicijs condemnare audeat, is ſaltē hac in parte ſuæ conſcientiæ conſulat, ut non pœnam ordinariam & legitimam,ſed leuiorem aliquam reo arbitretur irrogantam ita eleganter VVeſenb.d.loco.Fieri enim poteſt, ut oſcula, tactus,& mutuos amplexus nec præceſſerit,nec ſequatur commixtio carnalis.

Sed & illud quoq; hîc ſilentio prætereundum non eſt,quod etiam ſi propter adulterium vxoris facta ſit thori ſeparatio , nihilomnius tamen teneatur maritus illi alimenta præſtare.Ratio eſt:Quia vxor adultera poſt thori ſeparationem non deſinit eſſe vxor,cum illud vinculū coniugale non ſolvatur niſi morte ſecundū illud: Quos Deus coniuxit homo non ſeparet.& facit text. in cap. 2. de diuort. Quamquam hæretici contrarium,ſed impiè tamen aſſerunt,& defendere conantur,quod infra. cap. 9. refutabimus.

9

Ex quo ſanè colligitur,maritum poſt factam thori ſeparationem teneri omninò ad obſeruantiam caſtita-

tis. Nam si fornicetur, non solùm officio Iudicis, sed etiã ad petitionem & actionem ipsius vxoris cogi potest eam ad se recipere text. sing. secund. Abb. ibi in cap. ex literis, de diuort. glos. Anchor. Anton. & Anan. in cap. fin. de a-
10 dult. Couar. citato §. 6. nu. 5. Paria enim delicta, mutua compensatione tolluntur. d. cap. fin. & ibi glos. & l. viro atq; vxore, in fin. ff. solut. matrim. cum similib.

His illud etiam inserendum est, quod si marito constaret, vxorem esse adulteram, & tamen eam nihil-
11 omnius carnaliter cognosceret, ex eo censeatur illi adulteriũ remisisse, eiusq; mores approbasse. glos. ab omnibus recepta in d. cap. fin. Quæ tamen est intelligenda, quo ad commissa crimina, non quo ad commitenda glos. & Præpos. in d. cap. plerunq;. de donat. inter vir. & vxor. Couar. præallegato §. 6. nu. 7. Vnde amttit maritus hac in parte omninò omnem contra vxorẽ actionẽ.

12 Quod verò supra dixi, virum propter adulterium ab vxore perpetratum præter dotem ex alia substantia vxoris, liberis nullis existentibus tantum acquirere, quantum æquiualet tertiæ parti dotis, dubitationem habet, videturq; dicendum, quod vxor tertiam illam (sicut & maritus, cum hoc casu vir & vxor non iudicentur ad imparia vt sæpe dixi) de reliqua sua substantia marito persoluere non teneatur.

Idq; primò vel ex eo solo, quod Iura Ciuilia in tali
13 casu de illa tertia lucranda non videantur aliquid disponere. Nam text. in d. l. consensu C. de repud. simpliciter loquitur de dote & donatione propter nuptias amittenda, nec facit mentionem tertiç Partis, quem textum etiam ita intelligunt ibi Salicet. & alij.

14 Sic etiam Iura canonica tantùm de dote & dona-

tione

tione propter nuptias amittenda loquuntur, ut apparet ex d. cap. plerunq; & alijs locis plurib.

15 Præterea ex recentioribus Constitutionibus Iustiniani adulterio alia noua pœna videtur esse constituta, in §. si quando verò, in Auth. ut nulli Iudic. collat. 9. & in Auth. Sed hodie C. ad. l. Iul. de adult. Per quam pœnam aliæ priores videntur sublatæ, posteriores enim leges derogant prioribus. Nec obstat d. Auth. sed nouo iure. C. de repud.

Quia videtur quod dispositio illius solùm habeat locum in casu, quo maritus vxorem verberibus indignè affecit, quemadmodum sentit. glos. ibid.

Quare hæc pœna extra terminos suos non est extendenda, sed potius restringenda, cap. statutum de elect. lib. 6 & cap odia. & cap. in pœnis. de reg. iur. eod. lib. 6.

16 Verùntamen his & similibus in contrarium allatis nihil morantibus pro certo tenendum est vxorem ob adulterium commissum etiam de bonis suis reliquis tantum amittere, quantum dotis tertia pars esse cognoscitur. Hæc sententia probatur expresso textu in d. §. Quia verò plurimas, & §. causas. in Auth. ut lic. matri & auiæ. Quibus ex textib. clarissimè apparet Imperatorem quo ad pœnas istas voluisse inter virum & vxorem seruare æqualitatem. Idem sentit Irner. in d. Auth. sed nouo iure, ubi hoc ex d. §. quia verò plurimas, deducit & probat.

17 Neq; Imperator voluit illam tertiam relinquere, sed ad proximũ casum in d. Aut. Sed nouo iure eã reiecit, eamq; generaliter subiecit omnib⁹ casib⁹ in d. l. cõsensu C. de repud. ꝓcedentib⁹, ut ostẽderet maritũ adulterium vel

vel alia ibi perpetrantem non solùm amittere donatio-nem propter nuptias ( id quod per legem prius cautum erat )sed nouo iure eũ insup multari in tertia parte. de qua ibi, quæ in casu, quando maritus vxorem verberibus indignè tractauerit etiam constante matrimonio vxori debetur ex substantia viri Matrimonium tamẽ ob id nõ soluatur.

Hicq; verus est intellectus illius Auth. sed nouo iure, ut patet ex corpore, vnde sumittur, & ita eam etiam intelligit Host. in d. cap. plerunq; col. 2. dicens mulierem adulteram vltra dotem de reliqua sua substantia perdere etiam tantum, quantum facit tertia pars dotis. Quare casu conuerso in marito adultero, idem dicendum est, cum vir & vxor ad imparia non iudicentur. ita post Irner & Host. citatis locis. colendiss. Præceptor meus Nicol. Euerhard. Iun. piæ memoriæ, olim primarius Canonum Professor in celeberrima & Catholica Ingolstadiens. Academia, in relect. d. cap. plerumq; , & peculiari quodam huiusce quastionis consilio.

18 Huic interpretationi & decisioni non obstat, quod in contrarium primo dictum est, de ista tertia perdenda non fieri mentionem in d. l. consensu. Quia respondetur id non debere videri mirum, cùm hęc pœnę auctio recentioribus Iustiniani constitutionibus sit inducta, ut apparet in d. Auth. Sed nouo iure, & in d. §. quio verò plurimas.

Nec obstat quod Doctores in hoc casu, de pœna adulterij, Ciuili nempe, loquentes, faciant tantum mentionem de amittenda ob adulterium dote vel donatione propter nuptias. Quia respondetur nullum eorum, qui allegati fuerunt, ex proposito disputare de pœnis adulterij.

dulteri. Quare etsi solùm mentionem faciant de dote & donatione propter nuptias perdenda, tamen obiter hæc dicentes, velut notiora, non ideo voluerunt negare præter has non esse etiam aliàs adulterij pœnas ita Nicol. Euerhard. dictis locis. Ad d. cap. plerunq; eodem modo respondetur. 19

Nam ibi quoq; de pœnis mentionem facit Pontifex, non negans interim alias, quæ ex Iuris dispositione propter adulterium incurruntur.

Sic enim posteriora iura sunt concordanda prioribus, iuxta l. non est nouum. ff. de legib. maximè cum nō appareat Legislatorem habuisse animum corrigendi priores leges, quo casu dici potest, ut ipsemet Imperator dicit, quod non mutatur, cur stare prohibetur. l. sancimus C. de testam. & l. præcepimus C. de appellat.

Nec obstat denique, quod hodie noua videatur adulterij pœna esse constituta in d. §. si quando verò. Nam responderi potest eodem modo, ut ad præcedens argumentum per d. l. non est nouum. ita Euerhard. d. locis. Alijs etiam modis respondent alij, ut Salicet. in d. Auth. sed nouo Iure col. fin. & latè Imol. in d. l. cum mulier. ff. solut. matrim. nu. 16. & seq. & Ludouic. Roman. in d. l. Lucius. nu. 15. vers. secundò principaliter queritur. ff. eod. tit. 20

Ex quorum dictis patet d. §. si quando verò. in hac quæstione nihil obstare. Etenim illa difficultas, quæ per Doctores circa intellectum d. §. si quando verò, mouetur, procedit in casu, ubi maritus agit in pœnam, ut vxor in Monasterium detrudatur, ut per Ioan. de Imol. in d. l. cum mulier.

Ad quando non ad hanc, sed ad aliàs pœnas agit,

nempe vt ob adulterium fiat ſeparatio thori,& altera amittat dotem,& de reliqua ſua ſubſtantia tantũ,quantũ valet tertia pars dotis, de quo nulla diſputatio inter Doctores,ſed omnes tacitè tranſeundo videntur concordare in hoc,ut tali caſu huiusmodi pœnę, velut non ſublatæ,hodie quoq; locum habeant, & exigi poſſint, ſicuti expreſſè voluit Hoſt.in d. cap.pleruuq;.& ita etiam ſentit Irner.in d.Auth.ſed nouo iure,declarando, ut proximè dictum eſt,eo inſuper addito,quod reſtrictio gloſ.ibi ad caſum,ſi maritus vxorem indignè verberauerit, non ſit bona,quod ex eo Probatur, quod adulterium dicatur grauiſſimum ſcel⁹, ut multis comprobat Andr. Tirquel. in tract. de legib.connub. leg.13.per totum,& utiq; grauius,quàm ſi vir vxorem verberibus afficiat.

21 Vnde ſi propter hoc verberata vxor conſequitur illam tertiam,ut ſentit gloſ.in d. Auth. Sed nouo iure. multò magis illam conſequetur, ſi maritus adulterium commiſerit, hoc enim caſu maius eſt in vxorem delictum: & ideò non minori pœna vir delinquens puniend⁹, arg.cap.cum in cunctis.cum ibi not.per gloſ.& Doctores de elect. & l. fin.iuncta gloſ.ibi & ijs quæ eodem in loco tradit.Ioan. de Platea C.qui in ætate vel poſeſſ. ſe excuſ. lib. 10. ita eleganter Nicol.Euerhard.citatis locis.

## Ex Capite octauo ſummarium.

1 *Alter coniugum propter adulterium,an amittat quoq; bona ſua propria & paraphernalia.*

2 *Argumenta pro parte huius quæſtionis affirmatiua & in nu.3. 4. & 5.*

3 *Gloſſa*

3 *Glossa referens plures opiniones, videtur vltimam tenere.*

6 *A communi opinione non recedendum in iudicando.*

7 *Quod à pluribus indagatur, melius inuenitur.*

8 *Sententia negatiua asseritur, & probatur & numer. 9. 10. 11. & 12. & 13.*

14 *Opinio communis non ex numero opinantium sed ex pondere authoritatis producitur.*

15 *Iudex quando à communi opinione recedere possit.*

16 *Dotalitij appellatione an intelligantur bona paraphernalia.*

17 *Cui nomen non conuenit, nec eius dispositio conuenire potest.*

18 *Glossæ Authoritas non est supra leges & rationes.*

19 *Dolatium propriè quid significet & numer. 20.*

21 *Nunquam tanta vis authoritatis, & communis opinionis esse debet, ut veritatem vincat vel minuat.*

22 *Opinio, quam consuetudo recepit, communi est præferenda.*

23 *Doctori attestanti de consuetudine est credendum.*

24 *Coniunx propter adulterium, an perdat etiam reliqua bona, quæ aliàs ex pactis dotalibus, vel dispositione statuti, soluto Matrimonio habiturus fuisset.*

25 *Maritus occidens propria authoritate vxorem, non acquirit dotem, nec reliqua bona, quæ ob adulterium vxoris ei lege adiudicantur.*

## CAPVT OCTAVVM.

1 HIs præmiſſis & illa intricata quæſtio addenda eſt: An alter coniugum cõmittens adulteriũ præter pœnas ſuperiori capite enumeratas, amittat quoq; bona ſua propria, & paraphernalia. Hæc quæſtio à Doctoribus in vtramq; partem vltro citroq; magnis animis diſputatur & ventilatur. Alij enim affirmantem, & alij negantem defendunt partem.

2 PRO his, qui primam, & ſic affirmantem tuentur ſententiam eſt in primis gloſ. in cap. plerunq;, in verb. dotalitium. de donat. inter vir. & vxor. vbi gloſ. duas tradendo expoſitiones ad illum textum, tandem ponit vltimo loco, quod dotalitium in illo textu intelligatur de bonis paraphernalibus, hoc ſenſu, ut mulier ob adulteriũ perdat & bona paraphernalia: Sed quotiès gloſ. plures po- 3 nit opiniones, & nullã expreſsè eligit, vel ap͛pbat, videtur tranſire cum vltima, ſicut innuit ipſamet gloſ in l. qui filium §. Sabinus, ff. ad S. C. Trebell. Hoſt in cap. 1. de pœnit nu. 6. Bart. in l. bona fides: ff. depoſiti, Bald. in Auth. ex teſtamento C. de collat. Idem Bald. & Angel. in l. ſi idem cum eodem. §. fin. per illum text. ff. de Iuriſdict. om. iudic.

4 Secundò pro hac ſententia videtur eſſe textus in d. cap. plerunq;. Nam ibi vult textus mulierem adulteram vltra dotem amittere etiam dotalitium ſuum, ita ut

ut illud repetere à viro non poſſit. Hoc autem dotali- 11
tium intelligi poteſt de donatione propter nuptias, ſi-
quidem illa aliâs non ad mulierem, ſed ad virum ſoluto
matrimonio reuertitur. cap. fin. de donat. inter vir. & v-
xor.

Quare neceſſariò videtur id eſſe intelligendum de
bonis parapharnalipus vxoris, ut ob adulterium illa re-
petere nequeat: Alias enim verba illa dotalitij non re-
petēdi, eſſent ſuperfluè appoſita, & nihil oparentur cōtra
ea, quæ dicuntur in l. ſi quando. in princip. vbi gloſ. &
Doct. ff. de Legat. 1. & cap. Si Papa. de priuileg. lib. 6. cum
ſimilib. Et hanc eſſe mentem d. cap. plerunq; docet
gloſ. ibi in verb. dotalitium.

Deniq; hæc ipſa ſententia affirmatiua confirmatur
ex authoritatibus aliorum Doctorum. Etenim quod 5
mulier propter perpetratum adulterium amittat & bo-
na ſua paraphernalia, hoc poſt gloſ. in d. cap. plerunq;
ſentire videntur Cardin. Pariſ. & Ioan. Andr. ibi qui ſim-
pliciter cum gloſ. tranſeunt. idem Cardin. in conſil. 101.
in 2. dub. Felin. in cap. paſtoralis nu. 5. de Iudic. Franciſc.
Ripa. in Rubr. de Iudic. nu. 12. Ioan. de Garzanib. in re-
pet. Auth. Eiſdem pœnis nu. 22, C. de ſecund. nupt. Alex.
conſil. 3. vol. 2. Egid. Boſſ. in ſuis tract. varijs tit. de coitu
damnato. nu. 54. Roman. ſing. 315. incip. propter adulte-
rium. & ibi Nicol. Binolat. in addit. ad Roman. dicit hāc
ſententiam gloſ. in allegato cap. plerunq; à Doctorib.
communiter teneri, allegans etiam pro hac Iaſ. in l. Fidei
commiſſum. C. de fideicommiſſ. & Doct. in Rubr. C. de
Edend. Angel. Aretin. in tract. malef. in verbis illis Che-
hai adulterato nu. 17. Ludouic. Carer. in pract. crim. tra.
de homicid. §. 6. nu. 253. Franciſc. Cuman. in tract. feud.

in 4. part. num. 20. Nicol. Boër. decis. 338. ubi atrestatur hanc opinionem esse communem. Eandem sequitur Barthol. Chassan. in consuetud. Burgund. Rubr. 4. §. 6. vers. & sera tenuo. nu. 17. Pro hac sententia vltra prædictos plures etiam allegat. Andr. Barbat. in addit. ad Abb. in cap. 1. vt lite non contest. ubi citat. Bart. & Roman. in l. Lucius. ff. solut. matrim. & Bald. in l. si mulier ff. eod tit. Hanc tanquam communem refert. Couar. lib. 4. decretat. de sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 6. num. 2. ubi citat. Roman. sing. 32. Ias. in l. 2. ff. solut. & eundem in Rubr. C. de Iudic. nu. 3. Hippol. in l. pater marito, nu. 3. ff. de quæstionib. Gerard. sing. 48.

Quos omnes refert. Nicol Euerhard. Iun. Acad. Ingolstad. Canonum Professor olim primarius, Præceptor meus recolandæ memoriæ, in relect. d. cap. plerunque, & in peculiari quodam huius quæstionis consilio.

Ex hac tanta nube Doctorum patet hanc sententiã quod ob adulterium perdantur etiam paraphernalia, esse communem, non tantùm ideò, quia non nulli ex Doctorib. iam citatis atestantur, eam esse communem, quibus in hoc crededum est. per ea, quæ scribit Socin. Iun. consil. 121. nu. 17. vol 2. & Ferdinand. Loaz. in repet. l. filius fam. §. Diui. nu. 27. vers. & Doctori approbato. de Legat. 1 cum mul. similib. de quib. per Ioan. Neuizan. in sua sylua nuptiali lib. 5. nu. 2. & Anton. Marsil. Corat. in tract. de commun. opini. tit. 7. nu. 3. cum seq. sed etiam quia id ita esse conuincitur ex multitudine authorum supra allegatorum.

Nam procul dubio tàm multi constituunt communem opinionem secundum, ea quæ copiosè tradit Corat. d. tract. tit. 3. & seq.

Nam

Nam & aliàs per manus traditur, quod tam in iudicando, quàm consulendo tenenda & sequenda sit communis opinio. text. in cap. nouimus, vers. opinio à pluribus approbata, & ibi Panor. & Doct. de verbor. signif. & in l. vnic. ibi, & sanè crebrior apud veteres opinio est, ubi & Bald. ff. de offic. quæst. text in L. athletas. ibi & generaliter ita omnes opinantur. ff. de his qui not. in fam. Ioan. Andr. Panor. & Doct. in cap. 1. de constit. Bart. in L. fin. C. de pœna Iudic. qui malè iud. 6

Ratio est: Quia communiter maior pars melius veritatem investigat, & quod à pluribus indagatur, melius inuenitur.

Vnde Iudex iudicans contra communem opinionem, litem facit suam, & tenetur parti ad interesse, nec excusatur in syndicatu, secundùm Bart. & alios in d. L. fin. Iacob Menoch. tract. de præsumpt. lib. 2 præsumpt. 71. Nicol. Euerhard. in Middelburgo in locis legalib. loco ab authoritate. Nec obstat, si dicatur prędictos Doctores loqui de muliere tantùm, quæ, ut aiunt ob adulterium amittat bona paraphernalia, de marito verò nullam eos mentionem facere. 7

Quia respondetur, quod sententia illorum admittenda & intelligenda sit, pcedere etiam in marito adultero, siquidem istis pœnis ob adulterium infligendis (sola capitali excepta) vir & mulier ad imparia non iudicantur. iuxta ea quæ præcedenti capite nume. 12. tradidi.

VERÙM his argumentis & authoritatibus non obstantibus posterior sententia & quidem negatiua, quæ ut Iuri magis est conformior, ita & verior, in hac quæstione est tenenda & sequenda. 8

Quod

Quod nempe nec vxor, nec maritus ptopter adulterium commissum amittant sua bona paraphernalia & propria ita saltem ut illa alter ex coniugibus acquirere debeat.

9 Quę sententia probatur primò ex eo. Quod nullo iute id cautum sit. Ergô non est dicendum: Erubescimus enim sine legi loqui, §. considerimus. ubi glos. verb. erubescimus, dicit non valere responsionem, quæ lege non probatur, in Auth. de trien. & semiss. collat. 3. L. si seruum. §. non dixit Prætor ff. de acquirere hæred.

10 Secundò probatur. Etsi enim non semper necessarium sit lege aliquid cautum ostendere, modo conuenientem rationem assignet quis, id ita esse seruandum adeò ut dici soleat, eam non loqui sine lege, qui rationẽ allegat, si quidem pro lege sit omne id, quod ratione con sistit, iuxta c. consuetudo. §. porro. & ibi glos. 1. ibi glos. 1. dist. & rationem naturalem allegare sufficiat. l. scire oportet. §. sufficit autem. ff. de excusat. tut. Attamen in præsenti quæstione nulla ratione probari potest, quod alter coniugum amittat bona paraphernalia.

Licet enim adulterij crimen sit grauissimum, tamẽ huic certæ pœnæ à iure sunt determinatæ: Igitur non licet ultra ordinarias, alias accumulare, quasi ratione aliqua id persuadente, cum ipsa lex, quantum ad potestatem rationis, sit modus determinatio. & finis rationis, vltra quam extendere eam non licet. arg. d. l. si serum, §. non dixit Prætor. & cap. odia de reg. iur. in 6. & consequenter cum nec lege, nec ratione probatur maritum vel vxorẽ amittere bona paraphernalia, manifestum est, quod Doctori tale quid asserenti non sit credendum. cap. 1. de postulat.

ſtulat. prælat. Quoties igitur lege & ratione deſtituitur Doctoris authoritas, tunc ea nihil prorſus operatur, iuxta ea, quæ tradit Iaſ. in L. Illam C. de Collat. ita pulchrè Nicol. Euerhard. Iun. d. locis.

Tertiò probatur hæc eadem ſententia. Auferre vni coniugum bona paraphernalia, nihil aliud eſt, quàm pœna priuationis, at hæc locum non habet, niſi lex expreſſè ſtatuat per text. in §. cùm igitur, in Auth. de non eligend. Collat. 1. 11

Quarto probatur apertiſſimo textu in §. Quia verò plurimas. in Auth: ut liceat matri & auiæ, collat. 8. ubi mulier non exiſtentibus liberis, propter adulterium ex reliquis ſuis bonis amittit tantùm, quantum æquiualet tertiæ parti dotis, illaq; tertio marito applicatur, incluſio huius tertiæ partis, eſt excluſio totius reliquæ quantitatis paraphernaliorum, cap. nonne. de præſumpt. L. cum prætor. in prin. ff. de Iudic. L. ſi cum dotem. ff. ſolut. matrim. l. maritus C. de procurat. c. qualis. 25. diſt. Bart. & Angel. & Doct. in l. Legata inutiliter. ff. de legat. 1. 12

Deniq; probatur ſententia negatiua etiam authoritate celeberrimorum Iurium interprtetum. Etenim illam tenēt Abb. Præpoſ. & Hoſt. in d. cap. plerunq;. Dec in d. cap. paſtoralis, de iudic. Sylueſt. in verb. adulterium. q. 6, nu. 8. Guiliel Mayner. in L. ambiguis prodotibus nu. 250. ff. de reg. iur. Couar. ſupra allegato loco. Matthæ. VVeſenbec. in paratit. ff. ad L. Iul. de adult. n. 19. Nicol. Euerhard. Iun. in relict. d. cap. plerumq; & d. conſilio. 13

Vbi dicit, quod Doctores pro ſententia affirmatiua citati errantes potius, & in aduertentes hunc numerum compleuerint, quàm quod certo & deliberato iudicio

ſententiam gloſ. in ſæpè.d. cap. plerunq; amplexi ſint.

Neq; enim vna opinio communis appellanda eſt, quo præualeat & præiudicet alteri, eo ſolo, quod crebriore calculo approbata ſit, inſtar ouium, quarum aliæ alias præcedentes ſine iudicio ſequuntur Dec. conſil. 494. col. fin.

Communior namq; ea exiſtimanda eſt, quam ſex vel ſeptem Authores Claſſici ac melioris notæ, rem ſeriò & ex profeſſo tractantes, aſſerunt, quàm probata à quinquaginta ſolâ ferè authoritate priorum nixis.

14 Opinio communis non ex numero opinantium, ſed ex pondere authoritatis producitur. Alexand. conſil. 202. lib. 7. nu. 6. Ludouic. Gomez. in quæſt. 2. Proæmij reg. Cancellariæ, refert & ſequitur Martin. Nauar. in Enchirid. confeſſar. cap. vlt. nu. 289. ubi ſubiungit doctrinam Ioan. Andr. in d. cap. 1. de conſtit. de ſequenda opinione communi, intelligendam eſſe, cum pauci reſpectu aliorum contrariam amplectuntur.

15 Prҿterea Iudex non tenetur ſequi communem opinionem, quoties apparet eam eſſe falſam, vel aliâs euidentiſſimis rationibus eam ſubuerti poſſe, per text. in l. 1. §. ſed neq; C. de veteri iure enuclean. vbi dicitur, ſed neq; ex multitudine Authorum, ſed quod melius eſt, & æquius, iudicatore, cum poſſit vnius forſitan, & deterioris ſententia, & multos & maiores in aliqua parte ſuperare, refert. Panor. in d. c. 1. nu. 15. de conſtit. & in cap. tua nos, nu. 9. de vſur. Andr. Gail practicar. obſeruation. lib. 1. obſeruat. 153. nu. 6. text. etiam ad hoc in cap. Capellanus, verſ. poſterior ſententia meliori & ſubtiliori intitur ratione, de ferijs.

Nec obſtant argumenta pro parte affirmatiua adducta.

ducta. Nam ad primum respondetur, inductionem illã ex glos. in sæpe d.cap. plerunq; ex eo tolerari non posse, quod datalitij vocabulum in iure significet donationem propter nuptias, ut probatur per text. in cap. ex parte, de foro compet.

Quod enim significet bona paraphernalia nullibi in iure reperitur. Deinde si solutionem hanc quis non admittat, quamuis bona sit, tamen non sequitur sub appellatione dotalitij debere intelligi bona paraphernalia. 16

Quia dotalitium & paraphernalia sunt diuersa, ut ex nomine patet, diuersorum autem & separatorum diuersa & separata est ratio l. ult. ff. de Calum. l. si maritus. C. de donat. inter vir. & vxor. cum similib. Euerhard. in relect. d.cap. plerunq; & d.consil.

Tertiò si dotalitij nomine significarentur paraphernalia sequeretur, quod de iure Canonico notabiliter esset aucta pœna adulterij, vltra pœnas Cæsareo Iure in adulteras constitutas.

Nam Iure Ciuili non est alia pœna adulteræ de amissione bonorum præstituta, præter dotis amissionem & tantæ summæ, quanta dotis tertia pars esse cognoscitur, ut in d. §. Qui verò plurimas, dicitur.

Verùm ius Canonicum nunquam consueuit pœnas corporales à Iure ciuili delictis impositas augere, quin potius infinitis modis mitigare, tanto etiam m nus credi debet Pontificem hæc facere voluisse in d. cap. plerunque, cum ibi simpliciter de facto interrogatus respõderit

Quartò dotalitium in numero singulari significat vnam rem, vel quantitatem, & nunquam respectu vnius personæ reperitur in numero plurali impositum. Paraphernalia verò non sunt vna res, sed plures.

Cui ergò nomen aut verbum, non conuenit, nec eius dispositio conuenire potest. arg. l. 4. §. toties. ff. de dam. infect. ita eleganter post alios Euerhard. in repet. d. cap. plerunq; & d. consil.

Ex quibus euidentissimé concluditur, quod in d. cap. plerunq; dotalitium pro bonis paraphernalib⁹ accipi nequeat, q̄d q; glos. ibi ex ignoratione vocabuli pessimè errauerit, ut inquit Roman. in d. l. Lucius. col. penult. nu. 25. ff. solut. matrim.

18 Neq; enim credendum est glossæ, nisi lege moueatur, vel optima ratione, ut inquit præclarus ille I. C. Zasius singular. responsor. lib. 1. cap. 7. nu. 10. vbi & nu. 12. vulgatum errorem eorum esse, ait, qui plus timent, ne à glossis recedatur, quàm ne lædatur veritas, quod quam sit inimicum iustitiæ, quàm omninò horrendum, res ipsa docet.

Cum igitur glos. in d. cap. plerunq; in hac ipsa, quā tractamus, quæstione, sit singularis, & destituatur lege & ratione firma, consequitur eam non multùm esse curandam, cum contra eam melioris notæ iurium interpretes sentiant.

19 Cæterum dotalitium in sæpe alleg. cap. plerunq; accipi potest pro omni eo, quod coniunx ex contractu, vel pactis dotalibus vltra dotem acquirrere, & habere debuisset soluto matrimonio, ut sit sensus illius textus, quod adultera nec dotem repetere possit, nec quicquam eorum, quæ pactis dotalibus sibi præstanda conuenerāt, cùm non sit digna sentire communionem, vel partem ex eo contractu, cuius ipsa fidem & legem violauit. Euerhard. d. locis.

20 Vel dotalitij nomine intelligere possumus donari-

um

um, quod vulgo vocatur die Morgengaab, quæ etsi fiat propter nuptias, id est. occasione Matrimonij, tamen non est donatio propter nuptias eo modo accepto, ut in Iure Ciuili & Canonico accipitur, sed est quædam species largitatis peculiari vsu & consuetudine multarum regionum & prouinciarum introducta, ut colligere licet ex glos. in constit. Reg. Siciliæ lib. 3. refert & seqtur Euerhard. citatis locis. idem sentit. Ioach. Mynsing. §. Est & aliud nu. 12. & 13. Instit. de donat.

Et licet maior pars Doctorum contrarium teneat quod nempe ꝓpter adulterium alter coniugum amittat bona paraphernalia, tamē nunquā tanta vis authoritatis vel communis opinionis esse debet, ut veritatem vincat vel minuat, iuxta illud: Amicus Plato, amicus Cicero, sed magis amica veritas. 21

Estq; hæc negatiua sententia eo tutius sequenda, quod illa, (ut retulit Euerhard. in repet. de cap. & d. consil.) seruetur de consuetudine & quod nunquam quantum indagare potuit, viderit & audiuerit ob adulterium facta thori separatione, adulteros, aut adulteras bona sua propria & paraphernalia amisisse, sed ipsos retinuisse, & dotis, vel donationis propter nuptias, aut lucrorum ex pactis dotalibus debitorum iacturam fecisse.

Hæc igitur sententia vel ob id etiam communi est 22 præferenda, quoniam consuetudo eam recepit, ut per Alciat. in tract. de præsumpt. præsumpt. 30. nu. 3.

Vulgata autem est doctrina, quod Doctori attestāti de consuetudine sit credendum, & ei acquiescendum, 32 iuxta Bart. in L. de quibus. 4. quæst. princip. ff. de legib. & ibid Bald. glos. vlt. in l. dos à patre. C. solut. matrim. Mynsing. obseruation. Cam. Imperiat. Cent. 5. obseruat.

 96. nu.

96.nu. 1. & 4 vbi asserit in Cam. Imper. receptam hanc doctrinam.

Verùm hic circa eandem quæstionem elegans ori-
24 tur dubium quid statuendum sit de alijs lucris, quæ ex pactis dotalibus vel dispositione statuti vxor præmoriẽte marito habere debuisset, cuiusmodi verbi gratia sunt vel esse possunt dimidia pars omnium bonorum mobilium á se & marito suo matrimonio constante communiter acquisitorum, item duæ tertiæ superlucratorum.

Ad hoc duium breuiter respondetur, quod coniunx perdat quoq; omnia bona quæ aliâs ex pactis dotalibus, vel dispositione statuti, soluto matrimonio, ad eum peruentura fuissent. Syluest. d. verb. adulterium. q. 6. nu. 8. & Bolog. in consil. 23. col. fin. nu. 6. & 7. vbi hoc multis argumentis comprobat. Sed vltra adducta per ipsum, addit. Nicol Euerhard. in repet d. cap. plerunq; & d. consil. hanc elegantem rationem: Quia coniunx non est dignus, ut lucrum capiat ex pactis in contractu Matrimonij conuentis, qui in caput ipsum fidem coniugij violando, tam grauiter peccauit, arg. L. Auxilium. ff. de minorib. & faciunt not. per glos. & Doct. in L. 2. ff solut. matrim.

Hæc tamen responsio & conclusio ita restringenda est, ut solùm procedat in lucris, quæ propriè sunt lucra ex Ma[illegible]monio prouenientia d. cap. odia, & cap. in pœnis, cum vtrobique not. de reg. iur. in 6. Nam pœna priuationis non habet locum, nisi in casibus à iure expressis. d. §. cum igitur, in Auth. de non eligend. collat. 1.

Vnde licet alter coniugum ex Matrimonio per se violato aliquid lucrari prohibeatur, attamen non ideò debet sua quoq; bona perdere, nisi quantum hoc iure est, expres,

expressum, diuersa enim sunt non lucrari, & perdere, aut pœnam inuadere, ut per Speculat. in tit. de vsur. circa fin. ita Euerhard. d. locis.

25 Cæterum si maritus adulteram vxorem propria authoritate interficiat, amittit dotem, & illa bona, quæ ob adulterium vxoris, marito lege adiudicantur. glos. in c. inter hæc. 33. q. 2. glos. in l. si ab hostibus, & ibi Bart. Bald. Paul. Cast. Imol. Roman. & Alexand. col. penult. ff. solut. matrim.

Nec obstat l. si quis in graui. §. si tamen ff. ad S. C. Sillan. quia ignoscitur ei ad minorem pœnam, non ut in totum releuetur. l. 1. ff. de sicarijs. & l. si adulterium. §. Imperatores ff. ad l. Iul. de adult. Nam qui propria authoritate sibi ius dixerit, etiam lege permittente, legale commodum non consequitur l. interdum. §. qui furem ff. de furt. Nisi bos ex alia causa à lege marito deferatur: Nam tunc eam non amittit, etiam si vxorem adulteram propria authoritete occidat, ita ex Alex. d. l. si abhostib⁹. col pen. Couar. 4. decret de sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 7. n. 7.

26 Sed quæstionis est si vxor marito viuente adulteriũ cõmiserit, & illud ad notitiam viri peruenerit, an ab eius hæredibus ad amisionem dotis accusari posit? Cui quæstioni negatiue respondetur scilicet, eam ab hæredibus mariti ad amisionem dotis accusari non posse. per text. in l. rei iudicatę. §. hæredi. ff. solut. matrim. vti Bart. hoc not. quẽ deinde pleriq; sequuntur. Couar. d. cap. 7. § 6. n. 9. Si tamẽ vxor marito viuente, & eo ignorante adulteriũ cõmiserit, ab ei⁹ hæredib⁹ ad dotis amisionẽ accusari potest. Cyn. in l. fin. C. de revocand. donat. Rom. d. l. rei iudicatæ. § hæredi. ubi Aret. col. fin. & alij relati à Couar. iam citato loco. Vbi dicit hanc opinionem in praxi seruandã. ex Alexand. in d. l. rei iudicatæ.

Ratio

Ratio huius ſententiæ eſt: Quia dici non poteſt maritum diſſimulaſſe, & remiſiſſe adulterium, cum iniuriam, quam ignorauit, remittere non potuerit l. nihil intereſt. §. ſicum filius ff. de in offic. teſtam. l. mater. §. 1. ff. eod. tit. l. legitimam. ff. de petit. hæred. & l. vtilitatem. ff. de confir. tut. Idem dicendum eſt, ſi dubitatur, an ſciuerit maritus, quia preſumitur ignoraſſe. l. 1. §. illud. ff. de liber. agnoſ. l. mariti. ff. ad l. Iul. de adult. & l. verius ff. de prob. bat.

Quod ſi maritus ſciuit, & non eſt conqueſtus, ut potuit iure nouiſſimo, etiam conſtante matrimonio, Auth. ſed nouo iure. C. ad l. Iul. de adult. ſed vxorem retinuit, cum fuerit leno. l. ſine metu. C. ad l. Iul. de adult. ſic cum hæredes tractent de lucro captando, contra ipſos replicabitur de lenocinio mariti. l. cum mulier. ff. ſolut. matrim. & ſic paria delicta mutua compenſatione tollentur. ita Sylueſt. verb. dos. q. 15. verſ. Quartum. numero 16.

Maius tamen hoc loco dubium eſt: An vidua marito mortuo ſtuprum committens, perinde dotem amittat, ac ſi marito viuente adulterium commiſiſſet. Et quibusdam ut Paulo Caſtrenſ. in l. fideicommiſſum. C. de fideicommiſſ. & in l. ſororem C. de his quib. ut indig. & in conſil. 147. vol. 1. Præpoſ. in d. cap. plerunq; Iaſ. in d. l. 2. ff. ſolut. matrim. Hippol. in l. vnic. nu. 53. C. de raptu virg. Felin in d. cap. paſtoralis de Iudic. Sylueſt. de loco. verſ. Septimum. viſum eſt, quod ſic.

27

Ratio eſt: Quia maritus ſicut offenditur ex adulterio matrimonio conſtante commiſſo, ita ex fornicatione, eo mortuo, ab vxore perpetrata, iniuriam patitur, Bart. in l. penult. C. ad l. Iul. de adult.

Verùm

Verùm alij, ut Alexand. in d. l. fororẽ. Iaſ. in d. l. fideicommiſſum. Guiliel. Mayner. in d. l. in ambiguis pro dorib. nu. 208. ff. de reg. iur. & Dec. in d. cap. paſtorialis contrarium tenent, ſcilicet viduam ex hac fornicatione dotem non amittere, nec accuſari poſſe.

Quia id nullo iure ſit ſtatutum. Ergò non dicendum d. §. conſiderem⁹, & ibi gloſ. in Auth. de trien. & ſemiſſ. collat. 3.

Pro hac opinione adducunt text. in l. ſi vxor, verſ. quamuis ff. ad l. Iul. de adult. vbi Iurisconſultus in vidua cenſet ſtuprum impunè committi.

Et hæc poſterior opinio, quæ originaliter eſt Alexandri, probatur per text. in Auth. de reſtitut. & ea quæ parit in vndecimo menſe poſt mortẽ viri §. fin. collat. 4. vbi vidua, quæ poſt annum luctus eſt fornicaria, non eſt punienda pœnis à lege ſtatutis contra ſecundò nubentes, Ergo & dotem non amittit. l. 1. C. de ſecund. nupt. Vnde exiſtimat Couar. allegato. §. 6. nu. 11. in vidua intra annum luctus fornicante priorem opinionem, quæ originaliter eſt Pauli Caſtrenſ. probari poſſe. Alexandri tamen opinionem veriorem ad benigniorem eſſe & eã in lite contrnuerſa, ſententia lata, comprobaſſe Chaſſan. in conſuetud. Burgund. Rubric. 4. §. 6. verſic. mulier. nu. 24. quam etiam approbat. Carol. Molin. in conſuetud. Pariſ. tit. 30. q. 30. ampliat. 6. Imò idem Couar. dicit citato loco. nu. 12. Alexand. opinionem in praxi potius admitti, etiam intra annum luctus, atq; ita non ſemel ꝓnunciatum fuiſſe, & eandem ſententiam ſe ipſum proprio ſuffragio, dum in regio Granatæ Prætorio auditoris regij officio fungeretur, probaſſe, & ſi ſciret rem eſſe dubiam, ac poſſe defendi viduam fornicantem intra annũ

h luctus

luctus dotem amittere, quod & olim tenuit. Vnde in posteriori operis sui editione discessit ab his, quæ in priori editione hac de re scripserat, ut ipsemet fatetur, dubius tamen ea dubitatione, quæ ad theoricen pertinere posset, certus verò quo ad praxin, veriorem esse Alexandri opinionem.

## Ex Capite Nono summarium.

1 *Diuortio facto ob adulterium alterius coniugis, an innocenti permissum sit, viuente priore coniuge, qui adulterium cõmisit, aliud Matrimoniũ contrahere.*

2 *Argumenta pro quæstionis parte affirmatiua, & nu.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. *&* 9.

10 *Sententia negatiua asseritur, & probatur nu.* 11. 12. 13. 14. 15. *&* 16.

17 *Responsiones ad argumenta contraria & nu.* 18. 19. 20. 21. 22. 23. *&* 24.

## CAPVT NONVM.

1 STATVI hoc capite difficilem illam & arduam quæstionem tractare: AN diuortio sententia Iudicis facto, ob adulterium vxoris, vel è contra, innocenti sit permittendum ducere aliam viuente adhuc adultera? In hac quæstione duæ inter se repugnantes sunt sententiæ. Vna affirmatiua, altera negatiua. Affirmatiuam tenent communiter omnes Lutherani & Caluinistæ. Negatiuam omnes Orthodoxi & Catholici. 2 PRO huius quæstionis parte affirmatiua, & sic Lutheranis & Calvinistis videtur primò facere dictum Christi Matth. 19. Quicunq; dimiserit vxorem suam,

am,nisi ob fornicationem,& aliā duxerit,mæchatur. Ergò,sumpto argumento à contrario sensu, quod in iure validum est. l. conuenticulam,& ibi glos. & Doct. C. de Episc. & cler.qui propter causam fornicationis dimittit vxorem,& aliam ducit,non mæchatur.

SECVNDÒ dictum Apostoli Pauli 1. Corinth. 7. Quod si infidelis discedit,discedat: Non enim seruituti subiectus est frater vel soror in huiusmodi, & hoc casu etiam Canones Pontificij permittunt, fideli tanquam innocenti parti,ut cum alio coniugium contrahat. cap. quanto,de Diuort. 3

Quod autem illud dictum etiam ad fornicationem corporalem extendi possit probatur.

Nam si fornicatio spiritualis, nempe infidelitas soluit coniugij vinculum: Ergo multò magis fornicatio corporalis,cum magis repugnet coniugio fornicatio corporalis,quàm spiritualis.

TERTIÒ,si innocenti parti non liceret aliud coniugium contrahere,sequeretur quod innocens puniretur propter delictum nocentis, & iure suo absq; sua culpa priuaretur contra regulas iuris. cap. sine culpa, de reg. iur. lib. 6. cum tamen pœnæ suos tantùm debeant tenere authores. L. sancimus C. de pœnis. 4

QVARTO si maritus cogeretur recipere vxorem adulteram,vel è contra, aut in cælibatu viuere, hoc esset nutrimentum peccati,nec non inuitaret vxorem,vel virum ad adulterium,cum sciret maritum debere eam recipere. 5

QVINTO fieri potest,ut vir nec possit neque ei expediat vxorem retinere,vel eam post admissum adulterium reuocare,& tamen cōtinere nequeat,cū forte donū 6

continentiæ non habeat: Si ergò ei aliam vxorem ducere non liceret, pępararetur ei laqueus conſcientiæ conijciens & præcipitans illum in vſtiones, fornicationes, adulteria, iram & iudicium Dei &c.

7 Deniq; confirmant hanc ipſam ſententiam exemplo Fabiolæ, quæ nupſerat alteri viro priore viuente, poſt diuortium factum cauſa fornicationis, ut tradit S. Hieronimus in Epiſt. ad Oceanum, ex quo probare nituntur illam non tantum Papiniani leges ſequutam, ſed feciſſe hoc iuxta dicta S. Pauli 1. Corinth. 7. melius eſt nubere quam vri: & volo iuniores viduas nubere.

8 Cæterùm negant partem nocentem, ſcilicet adulteram, nouum coniugium contrahere poſſe. Quod probant dicto Chriſti Matth. 19. qui dimiſſam, ſcilicet propter adulterium, duxerit, mæchatur: Ergo dimiſſa neq; duci in vxorem poteſt, neq; ipſa alij viro absq; adulterij crimine nubere poteſt.

9 Secundò hæc ſententia probari poteſt authoritate D. Ambroſij in 1. Corinth. 7. ubi dicit, vxor à viro non diſcedat, niſi cauſa fornicationis, quod ſi diſceſſerit, aut maneat innupta, aut recõcilietur viro ſuo, & vir ſimilter non dimittat vxorem: Ideò non ſubdit de viro, quod de vxore pmiſit, qa viro licet ducere aliã. Quæ verba S. Ambroſij Gratian. ad literã retulit. c. vxor à viro. 32. q. 7.

10 Verùm tamen his vel ſimilibus argumentis ꝓ parte affirmatiua allatis, vel afferendis nõ obſtantibus, ſententia negatiua hac in quęſtione eſt conſtantiſſimè aſſerenda, defendenda & tenenda ſcilicet, diuortio facto ſententia Iudicis ob adulterium alterius ex coniugibus nõ ſolui vinculum Matrimonij & neutrum cõiugum aliud Matrimonium viuente ptiore coniuge cõtrahere poſſe.

Hęc

Hæc ſententia (quæ omnium Catholicorum eſt, ut dixi) probatur in primis multis ſacræ ſcripturæ locis. Primus locus eſt apud Matth. cap. 5. Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mæchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

Hæc verba: Et qui dimiſſam duxerit, adulterat, aut vniuerſè accipienda ſunt, aut cum exceptione, niſi ob fornicationem.

Si vniuerſè: Ergò qui dimiſſam duxerit, etiam ob fornicationem, mæchatur: Ergò non fuerat dimiſſa quo ad vinculum, ſed ſolùm quo ad thorum: non enim mæcharetur, qui illam ducit, niſi adhuc eſſet ptiori alligato viro.

Si cum exceptione: Ergò qui fornicariam à viro dimiſſam duxerit, non mæchatur: Ergo melior eſt conditio fornicariæ, quàm innocentis & caſtæ: Nam fornicaria libera eſt, & nubere poteſt: innocens autem iniuſtè dimiſſa, nec priorem virum habere poteſt, nec alteri nubere.

Atqui hoc abſurdiſſimnm eſt, vt lex CHRISTI iuſtiſſima dimiſſam iuſtè meliori loco eſſe velit, quàm dimiſſam iniuſtè, ita eleganter Robert. Bellarmin. lib. 1. de Matrim. ſacram. cap. 16.

Sed reſpondent aliqui, ſententiam illam eſſe generalem, ſed fornicariam non poſſe nubere alteri: non quod non ſit diremptum vinculum Matrimonij ſed quia in pœnam peccati lex prohibet illam nubere. His reſpondet idem Belarmin. d. capite, hanc ſolutionem eſſe nullum. Quia ſi prohiberetur nubere in pœnam peccati, ſed tamen verè libera eſſet, ac ſoluta vinculo prioris coniugij, peccaret qdem nubendo, & fortè Matri-

m'onium esset irritum, sed non mœcharetur neq; ipsa, neque qui eam in vxorem duceret: quia non est adulteriũ nisi cum coniuge alterius. Dominus autem disertis verbis pronunciat: Et qui dimissam duxerit, adulterat.

12 SECVNDVS locus, quo Catholica sententia asseritur est apud Marcum cap. 10. Quicunq; dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam: Et si vxor dimiserit virũ suũ, & alij nupserit, mœchatur. Similia verba habentur Lucæ 16. Omnis qui dimittit vxorẽ suam, & adulteram ducit, mœchatur.

Quæ verba vniuersaliter docent nunquam ita dissolui Matrimonium inter fideles contractum & cõsummatum, ut liceat aliud Matrimonium contrahere.

Verùm obijciunt aduersarij, loca ista debere exponi ex cap. 19. Matth. Vbi habetur exceptio fornicationis.

Quia, nisi in verbis Marci & Lucæ subintelligatur, excepta causa fornicationis, pugnabunt, Marcus & Lucas cum Matthæo: nam ista contradicentia sunt:

Omnis qui dimiserit &c. mœchatur: &. Non omnis qui dimiserit &c. mœchatur. Ista autem posterior sententia ex Matthæo colligitur: idem enim est dicere, Omnis qui dimiserit excepta fornicationis causa: &, Non omnis qui dimiserit: Prior verò propositio apud Marcum & Lucam habetur, nisi subintelligatur eadem exceptio.

Huic obiectioni respondet Bellar. d. cap. 16. Primò. Quod Euangelistæ omittunt quidem interdum aliquid, aut addunt, quoq alij Euangelistæ omiserunt, aut non addiderunt, sed nunquam ita omittunt, ut sententia reddatur falsa, alioqui enim Euangelistæ homines decepiss-

decepissent, quibus Euangelia sua tradiderunt, nulla mẽtione facta aliorum Euangelistarum: ita Bellarm. vbi & d. cap. hoc latè prosequitur. Secundo respondet: Non esse repugnantiam inter Euangelistas: Nam illa propositio: Non omnis qui dimittit vxorem, & aliam ducit, mœchatur, non reperitur apud Matthæum, ut aduersarij existimant.

Hæc enim sunt verba Matthæi: Quincunq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Ex quibus inferri non debet. Ergò non omnis qui dimiserit vxorem, & aliam duxerit, mœchatur Quare autem non debeat inferri cum tamen planèsequi videatur multæ causæ à Theologis reddi solent, quas Bellarm. d. cap. recenset.

Inter quas optima, ut ille inquit, est, quam S. Augustinus lib. 1. de adulterinis coniugijs. cap. 9. tradit, vbi docet Christum apud Matthæum accepisse illud: Nisi ob fornicationem, negatiuè, non exceptiuè, ut sensus sit. Quicunq; dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, id est, extra causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.

Ex quo affirmatur quidem adulterium eius, qui vxore dimissa extra causam fornicationis aliam duxerit: Sed nihil dicitur de eo, qui duxerit aliam, priore dimissa ob fornicationem.

Sed contra obijciunt aduersarij. Si ista est sententia Domini, Ergo frustra, & superuacaneè additur illud: Nisi ob fornicationem, poterat enim Dominus generatim & facilius dicere: Omnis qui dimiserit vxorem, & aliam duxerit, mœchatur.

Huic obiectioni respondet doctè & eleganter Bell. d. cap.

d.cap. Diuina prudentia, CHRISTVM Dominum & Seuatorem nostrum ita locutum esse hocq; loeum & temp⁹ postulasse.

Etenim Dominus eo loco respondebat Pharisæis, qui venerant parati, ut eum tentarenr, & in sermone caperent: & quia iam audierant, eum in monte quædam disseruisse contra libellũ repudij à Moyse in lege concessum, & consequentur etiam contra polygamiam, interrogauerunt eum, an liceret vxorem dimittere quacunque ex causa, ut nimirum, ea interrogatione impellerent eum ad pronunciandum aliquid aperrè contra legem, & exemplum Patrum.

Quare Dominus cum videret auditores incapaces esse: respondit eis præcisè ad interrogata. Quæsierant illi, an liceret vxorem dimittere, nimirum quo ad vinculum, quacunq; ex causa: respondit Dominus, non licere quacunq; ex causa: idq; probauit: Quia non licet dimittere non fornicariam, & aliam ducere, id quod tam perspicuum verum erat, ut nullo modo negari possit. Vtrũ autem liceat dimittere fornicariam quo ad vinculum, & aliam ducere, Dominus tunc apertè dicere noluit, quia hoc altius erat, quam ut ab eis tunc capi posset.

Quanquam ex ijs, quæ Dominus dixerat de prima origine instituti Matrimonij, facilè poterat hoc etiam intelligi; sed ne daret illis Dominus ansam calumniandi verba sua, voluit, ut ipsi per se id colligerent, quemadmodũ fecit in parabola vineæ, & aliàs sæpè: & nihilomin⁹ domi paulò post (ut Marcus scribit cap. 10.) apertè pronũciauit, omnem qui dimittir vxorem, & aliam ducit, mæchari.

Vidès igitur, inquit Bellarmin. quemadmodum verba

verba Domini nihil superuacanei contineant, nec pugnent inter se verba diuersorum Euangelistarum. ita pulchrè Bellarm. d.cap. 16. ubi subiungit, quod vnum duntaxat contra hanc expositionem obijci posset, quod nimirum si ita exponamus, non habebimus ex hoc loco licitum esse diuortium quo ad thorum ob fornicationem alterius coniugis. Sed parum refert, inquit, Nam ad hoc stabiliendum sufficit testamonium Matth. cap. 5.

TERTIVS locus, quo hæc sententia confirmatur, est in Epist. ad Roman. cap. 7. An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquar) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit? Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. 13

Igitur viuente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Similis locus habetur in Epist. 1. ad Corinth. 7.

Ex his sacræ scripturę locis clarissimè patet, nunquam solui vinculum coniugale nisi per mortem, & qa non soluitur, manere etiam post diuortium quacunq; de causa factum. Quod argumentum tanti fecit S. Augustin. ut lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 4. in hæc verba exclamauerit.

Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viua sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet vxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur, licitè itaq; dimittitur coniunx ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit, etiam ob causam

i fornica-

fornicationis. Hæc S. Auguſt. quem refert. Bellarm. d. cap. vbi aduerſariorum falſam expoſitionem in ſupradicta Apoſtoli verba, primo clariſſimis Apoſtoli & S. Auguſtini verbis, ſecundò ſanctis patribus tanquam interpretibus in prædicta Apoſtoli verba, tertio ratione ſimilitudinis egregiè diluit nec non inſigniter aduerſariorũ argumentis reſpondet. Vti apud illum eſt videre.

14 QVARTVS locus, quo hæc ſententia corroboratur eſt in Epiſt. priore ad Corinth. 7. His qui Matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Hoc loco loquitur Apoſtolus de muliere, quæ diſceſſit propter iuſtam diuortij cauſam. Verùm iſta non poteſt alij viro nubere, viuente priore, vt Apoſtolus apertiſſimè dicit: Igitur etiam iuſtiſſima diuortij cauſa non dirimit vinculum Matrimonij, neq; coniugibus iuſto diuortio ab inuicem ſeparatis ad alia coniugia tranſire licet. Sed obijciunt aduerſarij: Apoſtolum loqui de perſona nocente, vxore nempe, quæ diſceſſit à marito non ſponte ſua, ſed ab illo expulſa, ut iſta mamaneat innupta propter ſuum delictum, cum ſecundæ nuptiæ ſoli parti innocenti concedantur.

Verùm hoc nullo modo defendi poteſt, Apoſtolũ loqui de muliere nocente adultera nimirum & eiecta. Ratio eſt: Quia cum præcipitur, mulieri à viro non diſcedere, præcipitur, ne ipſa ſit auctor diuortij, ac ne deſerat virum non autem ne eijciatur, & coacta diſcedat.

Nam id præcipitur, quod eſt in eius poteſtate, cui p̃cipitur, non autem eſt in poteſtate mulieris ne eijciatur, neq; poteſt marito expellente non diſcedere. Bellar. d. cap.

Deinde

Deinde si Apostolus de vxore adultera dimissa tantùm loqueretur, imperfectam doctrinam traderet. Etenim adhuc quæri posset, quid faciendum sit vxori, quæ separatur à viro ob adulterium viri non ob suam propriam culpam. Sequitur ergo Apostolum generatim loqui de omni muliere, quæ iusti diuortij auctor est.

Dicit autem: Mulier non discedat, non autem dicit: Mulier non dimittat virum sicut postea dicit, vir nō dimittat vxorem: Quia ordinariè vxor est in domo mariti, & ideò diuortium facit discedendo ab eo, non eum ex domo eijciendo: contra maritus, quia est in domo sua, diuortium facit dimittendo non recedendo, ita Bellarm. sæpe d. cap. 16.

Non obstat deniq;, quod à quibusdam obijci solet de verbo, Recōcilior, quod propriè ad reos pertinere volunt, qui per reconciliationem in gratiam redeunt cum ijs, quos offenderunt, ut inde probent vxorem culpa sua discessisse. Nam reconciliarj dicitur non solùm is qui læsit, sed etiam is, quæ lęsus est. Reconciliantur enim propriè, qui alienati sunt. Hinc Cicero lib. 1. Epist. 2. ad Lentulum dicit reconciliatam esse voluntatem Senatus, quę tamen non culpa sua, sed aliorum abalienata à Lentulo fuerat. Et in hoc sensu dicitur Deus reconciliari hominibus lib. 2. Machab. cap. 1. Exaudiat Deus orationes vestras, & reconcilietur vobis & cap. 7. Reconciliabitur De⁹ seruis suis, & illud Matth. Reconliare fratri tuo, quod exponit S. Chrisostomus siuè iustè siue iniustè frater se offensum dicat

SECVNDO probatur, hæc sententia authoritate Iuris Canonici cap. 2. ibi semper tamen coniuges erunt, de Diuort. & cap. gaudemus, eod. tit. cap. ex parte de spon-

de sponsalib. & Matrim. c. 1. cum quinq; c. sequentib. 32. q. 7. c. quos Deus. 33. q. 2. & nouissimo Iure Canonico Concilij Trident. sess. 24. de sacram. Matrim. c. 7. vbi illud in hæc verba statuit.

Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet (iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam) ꝓpter adulterium alterius coniugum Matrimonij vinculum non posse dissolui, & vtrunq;, vel etiam innocentē qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente aliud Matrimonium contrahere, mæchariq; eum qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero, alij nupserit, anathema sit.

Neq; noua est hæc Concilij Trident. definitio: Nam post Christum Dominum ipsiusq; sanctissimos Apostolos, hoc ipsum semper in Ecclesia doctum & seruatum esse constat ex traditione quindecim sæculorum, quæ in specie Bellar. d. cap. 16. recenset.

16 DENIQVE probatur hæc eadem sententia eleganti ratione, quam Bellarmin. sæpe citato cap. 16. ex Patribus desumpsit, quam etiam huc referre placuit. Primò enim Matrimonium fidelium est signum coniūctionis Christi cum Ecclesia, ut docet Apostolus ad Ephes. cap 5. Sed illa vnio est indissolubilis. Ergò & vinculum coniugale.

Et quamuis tota simul Ecclesia à Deo fornicari nō possit, aliquę tamen partes Eccesiæ, nonnulli videlicet fideles interdum fornicantur spiritualiter, & diuortium faciunt, sed non propterea licet illis mutare Deum, aut Deus ita illos abijcit, ut nolit reconciliari, imò semper hortatur ad reconciliationem.

Tale igitur debet esse coniugium Christianum, ut nunquam tale fiat diuortium, quin spes maneat reconciliationis.

Secundò,

Secundò si licitum esset aliud Matrimonium, proles afficeretur iniuria: Nam filijs iam natis malè consuleretur, qui pro patre vitricum, pro matre nouercam habere inciperent.

Tertiò si esset licitum eiusmodi coniugium viuente altero, aperiretur aditus in-finitis repudijs etiam iniustis: nunc autem quia sciunt fideles debere se aut cœlibes viuere, aut priori coniugi reconciliari, non facilè ad diuortium adducuntur: at si scirent, mox repudiata vxore, aliam duci posse, facillimè diuortia fierent, & quærerentur occasiones aliquandò dissidiorum & criminum.

Quartò si post diuortium in causa fornicationis liceret parti innocenti aliud Matrimonium inire, vel id liceret etiam nocenti, vel non liceret. Si liceret, ergò commodum ex peccato suo adulter reportaret, & sæpè etiam viri dedita opera adulterium committerent, ut possent ab vxore liberari, & aliam ducere. Si non liceret, quæro in primis quare? Nam cum ea persona sit à vinculo prioris coniugij soluta (neq; enim potuit pars in nocens aliud Matrimonium inire, nisi vinculo prioris dirempto) neq; vlli faciat iniuriam, quare non potest Matrimonium contrahere. ita Bellarm. d. cap. 16.

His authoritatibus & rationibus pro sententia Catholicorum negatiua positis, Lutheranorum & Calvinistarum argumenta pro sententia affirmatiua supra adducta satis elisa & confutata sunt, sed soluenda sunt in specie.

RESPONDETVR igitur ad primum illorum argumentum ductum ex verbis CHRISTI Matth. 19. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem &c. quod supra in assertione sententiæ negatiuæ sub. nu. 12. proba- 17

tum ſit. Illud: Niſi ob fornicationem, non eſſe exceptionem, ſed negationem. Quia Chriſtus negat licitam eſſe talem dimiſſionem quo ad vinculum, in cauſa fornicationis, ſed non dicit eſſe licitam ſi adſit cauſa fornicationis.

Vnde argumentum à contrario ſenſu nihil concludit, cum non rectè accipiantur contraria. Neq; etiam illud valet, quando inde abſurdus intellectus reſultat, no tant Doct. in L. 1. ff. cui mand. eſt Imiſdict. & L. conuenticulam. C. de Epiſc. & cleric.

Cum ergò illud. Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, accipiendum ſit negatiuè, non rectè infertur: Ergo qui propter fornicationis cauſam dimittit vxorem, & alium ducit, non mœchatur: ſed ſolùm in ferri poteſt: Ergò minus grauiter mœchatur, Qui enim ſine cauſa fornicationis vxorem dimittit, & aliam ducit, non ideò mœchatur, quia ſine tali cauſa aliam ducit: ſed quia aliã ducit. Quod autem ea cauſa abſit, non facit eum mœchari, ſed facit eum mœchari cum iniuria prioris coniugis: Et ideo qui ob fornicationem priore vxore dimiſſa aliam ducit, mœchatur quidem ſed minus grauiter, quia ſine iniuria prioris coniugis. ita Bellarm. lib. 1. de Matrim. ſacram. c. 17. Deinde reſpondetur verba, niſi ob fornicationem, accipi poſſe exceptiuè, & ſiquidem accipiantur exceptiuè, tunc reſpondetur Chriſtum non loqui de dimiſſione quo ad vinculum, ſed ſolùm, quo ad thorum, quando concedit dimiſſionem in cauſa fornicationis. Sed obijciunt aduerſarij. Phariſæj interrogârunt Chriſtum de dimiſſione quo ad vinculum: Igitur & Chriſtus de eadem reſpondit.

Huic obiectioni respondetur concedendo Pharisæos de dimissione quo ad vinculum interrogasse, sed negatur Christum de eadem respondisse: Ergò inquiunt aduersarij non satis fecit Christus propositæ quæstioni.

Negatur consequentia & ratio negationis est: Quia in dimissione perfecta, quę est quo ad vinculum, duo cōtinentur, dimissio vnius, & potestas ducendi aliam: Christus hæc duo separauit, ac vnum quidem concessit, dimissionem scilicet cum restrictione ad causam fornicationis, alterùm verò omninò sustulit.

Et hæc est causa, cur ferè semper Christ' illa duo distinctè posuerit: Quicunq; dimiserit &c. &, Aliam duxerit, ut nempe explicaret repudium in lege permissum, & partim approbaret & partim improbaret. ita eleganter Bellarm. d. cap. 17.

18 AD secundum argumentum respondetur, Apostolum Paulum loqui de coniugio contracto inter infideles, eumq; permittere libertatem nubendi fideli deserto ab infideli.

Quod autem hoc Apostoli dictum de fornicatione spirituali non possit ad fornicationem corporalem extendi, ratio est: Nam vinculum non soluitur ob fornicationem spiritualem absolutè quia tunc solueretur etiam quando alter Catholicorum coniugum fieret infidelis, sed tamen soluitur vinculum coniugij inter infideles contracti, quando nimirum alter conuertitur ad fidem, & alter noluerit ei cohabitare sine contumelia Creatoris, quia coniugium illud sacramentum non erat. cap. quanto & cap. gaudemus. de diuort.

Verùm Matrimonium contractum inter fideles ob fornicationem non soluitur, quia sacramentum

est,

est & duplicem habet rationem insolubilitatis. Deinde, Quia Matrimonium fidelium significat vnionem Christi cum Ecclesia, uti supra nu. 16. dictum est. At illa vnio est indissolubilis. Igitur & vinculum coniugale.

19 Ad tertium respondetur. Illos malè regulam Iuris Canonici cap. sinè culpa, de reg. iur. in 6. & l. sancimus. C. de pœnis allegare. Quia, ut supra prima part. cap. 16. nu. 26. dictum est, non solùm culpa, sed etiam causa abesse debet, ut quis nullo modo puniri possit. Nam sæpè ex causa filij priuantur hæreditate paterna, ob crimina patris, ut in crimine læsæ maiestatis. l. quisquis. §. filij C. ad l. Iul. de adult. & in crimine hæresis cap. vergentis, vbi glos. verb. exhæredatio, & cap. excommunicamus. §. damnati. de hæretic. & cap. statutum eod. tit. lib. 6. Et sæpè ob indicia aliqua iure torquentur homines à iudicibus, sine vlla propria culpa, ut veritas indagetur. & sæpè ob incurabilem coniugis morbum, sine culpa sua priuatur alter couiunx debito coniugali.

Ita quoque separata per diuortium vxore ob illius adulterium priuatur vir vsu coniugij sine culpa sua sed non sine causa, causa enim subest maxima, quia vinculum prioris coniugij manet, & quia Christus prohibet, & quia fieret iniuria proli.

20 Ad quartum respondetur. Quod imò contrariũ verum sit. Nam si vir vel non cogeretur recipere vxorẽ adulteram, aut è contra, vel non in cœlibatu viuere, vxore dimissa, hoc esset nutrimentum peccati, quia facillimè diuortia fierent, & quærerentur occasiones dissidiorum & criminum, & aperiretur aditus infinitis repudijs etiam iniustis.

Iam verò cum sciunt fideles debere se aut in cœlibatu

batu viuere. aut priori coniugi reconciliari, non ita facilè adducuntur ad diuortia ut supra sub nu. 16. dictum. Neq; etiam vxor inuitatur ad adulterium, cum impunè illud non ferat.

Nam propter adulterium vir eam quo ad thorum & cohabitationem dimittere potest, quo casu lucratur eius dotem, & tantùm reliquis eius bonis, quantum equiualet tertiæ parti dotis, per ea quæ supra cap. 7. num. 2. & 3. dixi.

Sed nec cogi potest maritus eam recipere, nisi & ipse fornicatus fuerit. cap. ex literis, & ibi Abb. de Diuort. Præterea cum vxori à Iure aliæ pœnæ propter adulterium sint præstitutæ, nullo modo inuitatur ad perpetrandum adulterium, quin potius à perpetrando retrahitur & coërcetur.

Vnde sacri Canones sapientissimè excogitârunt rationem, qua nec adulterium relinqueretur impunitum, nec soluetetur coniugium, & spes reconciliationis velut ex quadam necessitate maior remaneret.

AD quintum respondetur: Eum qui cogitur vxorẽ dimittere, nec potest reconciliari, paratum habere remedium diuini auxilij, quod neminj petẽti denegatur, secũdum ilud Matth. 7. petite & acciqietis. 21

Nam Deus neminem finit tentari supra id quod ferre potest, sed facit cum tentatione prouentum, ut posſit, sustinere. 1. Corinth. 10.

Et quod nouum sit, ut quis cogatur sine culpa sua ad perpetuum cœlibatum pulchrè ostendit. & probat multis exemplis S. Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 11, & sequentib.

Nam si fortè vxor ab initio Matrimonij in ægritudi-

nem incidat, ob quam viro debitum coniugale reddere non valeat, & in ea vsq; ad mortem viri perduret: vel si captiua ducatur, & viro sciente, in carcere, vel alibi apud hostes perpetuò vitam agat: vel vir militiæ, vel alterius iusti negotij causa in remota regione multos annos ab vxore disiunctus maneat, quid tunc faciet vir, si fortè vsti onem pati incipiat, cùm tamen neq; vllam diuortij iustam causam habeat, neq; vxore sua uti possit? & similiter quid faciet vxor sine culpa sua consortio mariti destituta? nonne oportebit à Deo auxilium ad continendum pijs precibus impetrare?

Nam nulla regionis absentia, aut temporis longinquitas Matrimonij vinculum semel contractum dissoluit, quos enim Deus coniunxit homo non separet. c. quos Deus. 33. q. 2. 22

Hinc Ecclesia potius tolerat periculum, quod lædatur Matrimonium non in figura Matrimonij, quàm sub specie Matrimonij. arg. eorum, quæ dicuntur in cap. nuper, de bigam.

Vbi grauius peccant clerici, qui fornicantur in figura Matrimonij, quam ij, qui non sub tali fornicantur.

Deniq; non obstat exemplum Fabiolæ, quod aduersarij tanti faciunt, vt eo probare conentur, post diuortium causa fornicationis factum, licitum esse innocenti personæ aliud inire coniugium.

Quia respondetur non exemplis, sed legibus esse iudicandum L. nemo. C. de sentent. & inter locut omni. iudic. cum similib.

Nam hoc exemplum cùm culpabile & pernitiosum sit, in consequentiam trahendum non est.

Quia

Quia Fabiola illa teste S. Hieronymo in Epist. ad Oceanum de obitu Fabiolæ mortaliter peccauit eo qđ contra Christi præceptum nupserat alteri viro, viuente priore, post diuortium causa fornicationis factum.

Quod probatur primo verbis S. Hieron. Præcepit Dominus, inquit, vxorem non debere dimitti excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptā.

Quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat. in fœminas. quę verba etiam refert Gratian. 32. q. 5. c. præcepit.

Secundò probatur ex illis verbis eiusdem S. Hieronimi. Igitur & Fabiola, quia persuaserat sibi, & putabat à se virum iure dimissum, nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuersa cautio viuentibus viris, fœminis amputatur: dum multa Diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit.

Tertiò probatur ex illis: Sed quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cuius pœnitentiam ipsa confessa est? Qualis autem Fabiolæ pœnitentia fuerit, his verbis indicat: Tota vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, stetit in ordine pæni tentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collachrimantibus: sparsum crinem, ora lucida, & squalidas manus, sordida colla submisit.

Et infra inquit idem S. Hieron. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit: dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os, non est ingressa in Ecclesiam Domini, sed extra castra cū MARIA sorore Mosi separata consedit, ut quam sacerdos ejecerat, ipse reuocaret. Hæc S Hieron.

Neq; obſtat, quod aduerſarij obijciunt. S. Hieronimum dixiſſe, Fabiolam non tantū Papiniani leges fuiſſe ſequutam, ſed eam feciſſe iuxta S. Pauli dicta.

Quia reſpondetur S. Hieronimum non dicere Fabiolam eſſe legem Papiniani, vel verba Pauli ſequutam, quin imò dicit illam contra Papiniani legem feciſſe.

Nam Papinianus frena libidinis viris, non mulieribus relaxat. vt patet ex l. inter. ff. ad l. Iul. Fabiola verò fœmina erat, non vir. Aliæ ſunt inquit S. Hieron. leges Cæſarum, aliæ CHRISTI: Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit &c.

Quod autem S. Hieronim. in excuſationem aliquam Fabiolæ hæc Pauli verba adducit: melius eſt nubere, quàm vri: &, volo adoleſcentiores nubere: eo pertinet, ut oſtendat illam partim ex infirmitate, partim ex ignorantia peccaſſe.

Nam exiſtimauerat illa ad ſe pertinere illas ſententias, tùm quia ignorabat Evangelij vigorem, tum quia concupiſcentiæ ardore ſe ipſam fallebat, ut apertè tradit S. Hieron. dictis illis verbis. Igitur & Fabiola, quia perſuaſerat ſibi, &c.

23 AD illud: Qui dimiſſam, ſcilicet propter adulterium, duxerit, mœchatur: Ergò dimiſſa neq; duci in vxorem, neq; ipſa alij viro, abſq; adulterij crimine, nubere poteſt, reſpondetur, ſupra ſatis fusè oſtenſum & probatū eſſe, non ſolùm dimiſſam vxorem ob adulterium commiſſum nubere, vel duci non poſſe, ſed etiam dimittentem virum aliam, viuente priore vxore, ducere non poſſe.

24 DENIQVE ad authoritatem D. Ambroſij reſpondetur primò, verba illa relata à Gratiano d. c. vxor à viro

à viro. 32. q. 7. ab aliquo falsario inserta fuisse commentario Diui Ambrosij in 1. Corinth. 7. teste eodem Gratiano in c. quod proposuisti. ead. caus. & q. & Petro Lombardo lib. 4. sent. dist. 35.

Secundo respondetur, posito, non tamen concesso, Diuum Ambrosium auctorem esse illorum verborũ, cuius tamen contrarium omnes eruditi tenent dicentes, eum nec commentarij auctorem esse, neque aliquẽ alium patrem esse ex celebratis auctoribus, tameu constat hanc opinionem nec ab Ecclesia, nec à summis doctisq; viris receptam esse.

Nam vnius sententia non potest omnibus alijs prę iudicare. Imò ipse verus Ambrosius apertè contrariam tenet sententiam lib. 1. de ABRAHAM. cap. 4.

Ex quibus manifestè conuincitur, verba illa relata à Gratiano falsò S. Ambrosio (si auctor commentarij est, quod omnes docti negant,) adiecta esse.

Nec obstant alij plures Canones pro ea opinioni quæ falsò D. Ambrosio adscribitur, à Gratiano d. caus. 32. q. 7. adducti. Nam ij intelligendi sunt mortua vxore adultera, ut ipse Gratian. intellexit in d. c. quod proposuisti, & glos. in c. concubuisti. ead. caus. & q.

Ex quibus omnibus tandem satis superq; & ad nauseam usq; probatum est, quod diuortio sententia Iudicis ob adulterium facto, innocenti coniugi, sicut & nocenti, non liceat aliud Matrimonium, viuente priore coniuge, contrahere, & quod in hac separatione coniugij ex causa fornicationis à Deo permissa, par ius viro & vxori, & non dispar competat.

# Ex Capite Decimo summarum.

1 *Adulterium tale delictum, quod contra omnia Iura cõmittitur, vnde ab omnibus in specie punitur.*

2 *Adulter qua pœna de iure diuino puniatur.*

3 *Pœna adulterij de Iure naturali, & quæ animalia puniant adulterium.*

4 *Adulter laicus qua pœna Iure Canonico puniatur.*

5 *Adulter ratione adulterij subest foro spirituali, seu Ecclesiastico, ratione verò personæ suæ sub est foro sæculari.*

6 *Adulter clericus qua pœna à Iure Canonico afficiatur.*

7 *Adulter qua pœna á Iure Ciuili plectatur, & nu.* 8. *&* 9.

10 *Adulterij veteres pœnas hodie ferè abolitas esse.*

11 *Maritus adulterum deprehensum cum vxore an impunè occidere possit.*

12 *Marito adulteram vxorem occidere non licet.*

13 *Marito adulterum deprehensum cum vxore, propria authoritate occidere, an liceat in foro conscientiæ? & nu.* 18.

14 *Argumenta pro huius quæstionis parte affirmatiua & nu.* 15. *& sequentib.*

16 *Lex Ciuilis in iudicio interiori animæ ligat, & seruanda est.*

17 *Quod legi licet, licet ei, cui lex committit.*

18 *Sententia negatiua asseritur, & probatur nu.* 19. 20. 21. 22. *&* 23.

24 *Quæstio hæc, an liceat marito adulterum in foro conscientiæ propria auctoritate occidere, distinctione explicatur.*

25 *Intellectus cap. si veró, el.* 1. *de sentent. excom. & ibi Responsiones*

*sponsiones ad argumenta pro quæstionis parte affirmatiua.& nu. 26.27 28. & 29.*

26. *Argumentum à contrario sensu, quando non procedat.*

## CAPVT DECIMVM.

QVIA verò supra hac secunda parte cap. 2. 7. & 8. de pœna adulterij, quam Doctores Ciuilē appellant, egi, operæ pretium pretium esse existimo, ut de pœna adulterij, quam criminalem vocant, pauca breuiter & obiter, quantum tractatus iste admittit, subijciam.

1 SCIENDVM itaq; est, adulterium tale esse delictū, & peccatum, quod non solùm contra ius diuinum, & naturale, sed etiam contra positiuum tam Ecclesiasticum, quàm Ciuile perpetretur: Vnde ab omnibus his Iuribus & quolibet in specie punitur. Et primò quidem probatur hoc quo ad Ius diuinum.

2 NAM Genes. 26. scriptum est: Si quis tetigerit hominis vxorem morte morietur, & Leuitici 18. & 20. dicitur: Cum vxore proximi tui non coibis, nec seminis cōmixtione maculabis. & Deuter. 22. dicitur. Si dormierit vir cum vxore alterius vterq; moriatur adulter & adultera, & auferes malum de terra. Itemq; lege diuina Euangelica damnantur adulteria. Ioan. 8. & Matth. 5.

3 SECVNDO probatur idem quod ad Ius naturale. Etenim, ut constat ex §. 1. Instit. de Iure nat. gent. & ciuil.

Ius naturale illud est. quod natura omnia animalia docuit: At plurima animalia rationis

nis expertia summopere adulteria auersantur, & qnanto ea hominibus odio & detestatione esse debeant, indicijs testantur, uti ex multorum obseruationibus scripsit Andr. Tiraquell. in tract. de legib. connubialib. lege 13. nu. 1. Is namq; ex Plinio lib. 8. cap. 5, tradit elephantes maximo odio habere adulteria, & adeá quidem, ut etiam hominum adulteria detestentur, & morte aut aliàs puniant,

Quod idem etiam memoriꝫ prodidit Ælianus. lib. 15. historiæ animalium, vbi refert quendam elephantem adulterum vxoris Domini sui, & ipsam vxorem adulterantes interemisse.

Refert ex eodem Æliano Tiraquell. citato loco Ciconiam quandam in Domini adulteram impetu facto, ei oculos eruisse. Plinius item lib. 8. hist. naturalis cap. 16. refert Leones adulteria in Leæna cognoscere. & illam occidere, vel in aquas detrudere, ut se abluat, vel fugere ꝓcul cum adultero, vel cum pardo cogunt Idem Plinius lib. 10. cap. 33. inquit columbas coniugij fidem nunquã violare.

Hoc idem etiam patet ex Arist. lib. 9. de historia animal. cap. 7. & Iacobo Menachic. lib. 2. de arbitrar. Iudic. quæstionib. cent. 5. casu 419. nu. 7. qui scribit idem esse in turturibus.

Hæc & alia quoq; refert Iodoc. Damhaud. in sua praxi rer. criminal. cap. 89. à nu. 99. vsq; ad nu. 108. vbi addit porphyriones aues, palumbes, turtures, Cornices. Lynces, & Echeneides pisces. Plura docet Plinius d. lib. 10. cap 34. & AElianus d. lib. 15.

Tertiò id probatur quo ad Ius positiuum Canonicum, quo quidem Iure varijs pœnis adulteri puniuntur.

LAICVS enim tam masculus, quam fœmina committens adulterium, hoc iure excommunicatur, textus est expressus in cap. intelleximus, de adult. cap. consulit, el. 1. de appellat. cap. 1. & ibi Abb. de offic. ordin. Iul. Clar. receptat. sententiar. lib. 5. §. adulterium nu. 7. & prætcrea fœmina in Monasterium detruditur, & si maritus nolit eam intra biennium recipere, ibi cogitur perpetuò esse & pœnitentiam agere. cap. gaudemus, de conuers. coniug. Couar. in Epitome de sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 7. n. 20. & Iul. Clar. d. loco. 4

Et hic est vnus ex illis casibus, in quibus Iudex Ecclesiasticus ius dicit in Laicos, quemadmodum etiam constat ex Concilio Trident. sess. 24. de sacram. Matrim. c. 12. & in decret. eiusdem Concilij de Reformat. Matri. c. 8.

Ratio, cur adulterij crimen ad Iura Canonica & Iudicem Ecclesiasticum spectet, est: Quia adulterium directè concernit peccatum, quod maximè spectat ad violationem sacramenti Matrimonij, quod sacramentum sacrum & spirituale est.

VNDE adulreri curiæ spirituali, seu foro Ecclesiastico subsunt, adulterij & sic peccati gratia. Foro verò sæculari causa suæ personæ subsunt, in quo Iudices sæculares, illos puniunt, non ut in hoc curiæ spirituali præiudicent, quasi de sacramentis & causis spiritualib⁹ qdquã iudicẽt cum ea tantùm faciant, non sacramenti violati gratia sed ipsius personæ causa, quæ prophana est, & non spiritualis, & idcirco foro Ciuili & sæculari habilis est & subiecta. Hinc sæpè fit, ut adulteri & adulterę ob ꝑpetratũ adulterium ab vtroq; Iudice Ecclesiastico, & sæculari puniantur. Damhaud. d. cap. 89. nu. 18. 5

CLERICVS verò hoc eodem Iure Canonico, ꝓ crimine adulterij deponitur, & vlterius in Monasterium detruditur ad perpetuam pœnitentiam agendam, text. in c. si quis clericus. 81 dist. glos. in c. lator 2. q. 7. Ioan. Andr. Abb. & Imol. in c. ut clericorũ, de vita & honest. clericor. Couar. d. loco nu. 19. & Tiraquell. d. lege 13. n. 25. Quod intelligitur verum quo ad forum Ecclesiasticũ contentiosum, non etiam quo ad forum, quod conscientiæ forum appellant. In hoc enim foro conscientiæ adulterij pœna sacerdoti est arbitraria.

7 DENIQVE confirmatur idem quo ad Ius positiuũ Ciuile, quo etiam Iure secundum Ius ff. orum adulterium puniebatur pœna deportationis, ut attestatur Iul. Clar. d. loco, & probant idem quoq; eleganter Wesenbec. in suis parat. tit. ff. ad l. Iul. de adult. nu. 19. & Menoch. d. casu 419. nu. 27. vsq; ad nu. 87.

Quamuis non desint, qui asserant hoc iure pœnam mortis in adulteros fuisse statutam, vti colligitur ex Couar. citato loco nu. 16.

8 SECVNDÙM verò Ius Codicis adulterium pœna vltimi supplicij punitur, text. expressus in L. quamuis. 2. in fin. C. ad L. Iul. de adult.

9 SECVNDÙM Ius autem Authenticorum, in fœmina propter sexus fragilitatem commutata est pœna nam in primis virgis cæditur, deinde in aliquod Monasterium detruditur, & si intra biennium maritus illam ad se non reuocet, ipsa cogitur habitum Monachalem suscipere, & ibi toto vitæ tempore manere, textus expressus in Auth. Sed hodie C. ad. L. Iul. de adult. fusè Iul. Clar. d. §. adulterium nu. 8. vbi subijcit in masculo firmam manere

nere dispositionem d. L. quamuis, quod scilicet is propter adulterium puniatur pœna vltimi supplicij, nimirũ gladij.

Verùm hæ pœnæ Iuris Ciuilis, hodie hoc corruptissimo sęculo per statuta municipalia, locorumq; 10 consuetudines, commutatæ sunt, ut cernere est apud Menoch. Iul. Clar. & Tiraquell. supra allegatis locis: Et proinde proh dolor ludibrio habentur, ut non immeritò cum Iuuenali exclamare atq; ingemiscere possimus

——— Vbi nunc lex Iulia dormis?

CÆTERÙM hoc loco insignis sese offert quæstio: An maritus adulterum deprehensum cum vxore impunè 11 occidere possit? Cui quæstioni affirmatiuè respondetur, concurrentibus his duobus, primò adulterum in ipsa turpitudine, ἐν ἔργῳ, deprehendat, text. in l. Marito. ff. ad L. Iul. de adult. secundo ut adulter plebeius sit & non nobilis, quem tamen nobilem si ita in actu occiderit, mitius etiam, & citra mortem, & non ut homicida puniendus est, sed tantùm per exilium d. l. Marito & l. Gracchus C. ad L. Iul. d. adult.

VXOREM verò marito occidere non licet, etiam si eam in ipso deprehendat adulterio. L. nec in ea. ff. ad L. 12 Iul. de adult. Ratio huius est fauor Matrimonij, qđ adulteriũ nõ soluit. Si tamen maritus vxorem in adulterio deprehensam impetu doloris tactus interfecerit, non ordinaria legis Corneliæ de Sicarijs pœna puniendus est, sed leuiori, difficilimum enim est, iustum dolorem temperare. L. si adulterium, §. Imperatores, ff. ad L. Iul. de adult. & d. l. Grachus, & quidem si maritus fuerit inferioris cõditiõis homo, in opꝰ perpetuũ traditur. Sin vero honesto loco sit natꝰ in insulam relegatur. d. §. Imperatores.

Et hæc ſupra dicta quidem obtinent atq; procedũt ſecundum Ius Ciuile, quod ſine pœna, ſecundum datam diſtinctionem admittit adulteri deprehenſi occiſionem marito.

Sed nunc quæſtionis eſt: An etiam in foro conſci-13 entiæ liceat adulterum deprehenſum cum vxore, ſine peccato occidere?

De hac quæſtione duæ ſunt repugnantes Doctorum opiniones vna affirmatiua, altera negatiua.

PRO huius quæſtionis parte affirmatiua facere vi-14 detur in primis cap. ſi verò, el. 1. de ſentent. excom. Vbi maritus percutiens clericum in vxoris adulterio deprehenſum non fuit excommunicatus, atq; adeò non tenebatur à Romano Pontifice abſolutionis beneficium exigere, licet cæteri clericorum percuſſores teneantur id expetere, c. ſi quis ſuadente. 17. q. 4.

Ergò Leges Ciuiles permittentes marito adulterũ occidere, à Iure Canonico in d. cap. ſi vero. comprobantur.

15 SECVNDÒ probatur ex c. interfectores. 33. q. 2. vbi interfectores vxorum homicidæ appellantur, quando vxores non erant adulteræ: Ergò ſumpto argumento à contrario ſenſu, quod in iure validum eſt, quãdo inde nõ reſultat abſurdus intellectus, L. conuenticulam, & ibi. gloſ. & Dd. C. de Epiſc. & cleric. ſi erant adulteræ, non dicentur mariti homicidæ.

Tertiò probatur pars affirmatiua per text. in c. inter hæc & c. ad monere. 33. q. 2. vbi mundana lex refertur, ex qua licet vxorem adulteram occidere, & quaſi confirmatur ibi, inquit enim d. c. admonere: Et tunc ſi ita fuiſſet inuenta, ſecundum legis tramitem debuit accipere vltio-

vltionis vindictam: Ergò canon ille, leges adulterij crimen punientes, approbat.

QVARTÒ eadem confirmatur, Lex Ciuilis etiam in interiori conscientiæ foro est seruanda, glos. singularis & celebris in cap. quæ in Ecclesiarum. de constitut. asserunt idem. Ias. in L. nemo potest. ff. de Legat. 1. nu. 106. D. Thom. 1.2. q. 69. art. 4. & Dominc. de Soto lib. 1. de Iustit. & Iur. q. 6. art. 4. 16

Ratio est: Quia lex Ciuilis condita est authoritate diuina. Nam, ut inquit Sapiens cap. 8. prouerb.

Per me Reges regnant, & conditores legum decernunt iustitiam, c. quo iure, 8. dist. cap. 2. de maiorit & obed. & c. quod præcipitur, 14. q. 1. idemq; dicit. D. Paul. ad Roman. cap. 13.

At lex permittens adulteri occisionem, iusta videtur: Igitur in conscientiæ foro obtinebit.

QVINTÒ. Id quod legi licet, licet ei, cui lex committit, sicut & quod Magistratui licet, licet ei, cui Magistratus dat potestatem: sed legi licet occidere adulterum, aut quem libet alium nocentem & facinorosum, & Magistratus potest ad capitis pœnam nocentem & criminosum damnare. 17

Igitur & maritus, cui lex commisit poterit & adulterum, & vxorem adulteram occidere.

Quid enim refert maritusne vel carnifex, Iudex an alius adulterum è medio tollat? Hanc sententiam affirmatiuam tenent Iul. clar. lib. 5. receptar. sentent. §. homicidium. nu. 50. & ex Theologis Ioan. à Medina in tract. de restit. quæst 3. casu 4. & Dominic. de Soto lib. 5. de Iustit. & Iur. q. 1. art. 3.

VERÙM in contrariam sententiam, quod nempe 18

non liceat viro absq; mortali peccato adulterum, & multò minus adulteram vxorem, in adulterio deprehensos occidere, plures tum canones, tum authoritates tam Iurisconsultorum, quàm Theologorum adduci possunt. Nam Tiraquell. in d. tract. suo de legibus. connubialib. lege 9. nu. 4. & Couar. d. cap. 7. §. 7. nu. 9. vltra 40. tùm Iurisconsultos, tùm Theologos, qui istam tenent sententiam, referunt.

19 Probatur autem hæc negatiua sententia primò per textum d. c. inter hæc. 33. q. 2. vbi dicitur, Ecclesiam mundanis hisce legibus permittentibus vxoris adulteræ occisionem, minimè constringi, & c. sequen. interfectoribus vxorum pænitentia iniungitur.

20 Secundo probatur per d. c. ad monere. 33. q. 2. vbi dicit text. & tunc si ita fuisset inuenta, secundùm legis tramitem debuit accipere vltionis vindictam.

Nam si verum, quod absit, fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses, occidere tamen eam nullatenus debuisti.

Ex quo textu apertè colligitur, non licere marito absq; mortali peccato vxorem adulteram occidere.

21 Tertiò hæc ipsa sententia confirmatur authoritate glos. d. c. inter hæc, quæ asserit maritum, propria authoritate occidentem vxorem, mortaliter peccare, etiamsi eam in crimine ipso deprehenderit, & hanc glos. dicunt singularem Abb. Anan. & Felin. col. 2. cap. interfecisti, de homicid. quam deinde pleriq; relati á Couar. d. loco cōmendant.

22 Quartò omnis lex debet esse rationabilis, honesta, & Reipub. vtilis, c. erit. autem dist. 4.

At

At lex permittens adulterorum occisionem est irrationabilis, inhonesta & pernitiosa in Repub.

Ratio est: Quia nemo sine sententia est condemnandus. c. sicut 2 q. 1. & tradit idem Couar. in cap. Alma mater. de sent. excom. lib. 6. 1. part. §. 2 nu 9. & Iul. Clar. lib. 5. §. fin. q. 9. nu. 8. Menoch. lib. 2. de arbit. iudic. quæst. cent. 3. cap. 235. nu. 12. & Anton. Gomez. variar. resolut. tom. 3. cap. 1. nu. 48. vbi in specie quæstionem proponit. de eo, qui coram Iudice aliquem occidit, dicẽs quod licet solennis processus non requiratur contra talem occisorem, attamen sententia declaratoria sit necessaria.

Cum igitur priuatus (cuiusmodi est maritus) ius ferendæ sententiæ non habeat, consequitur eum non posse authoritate propria occidere adulterum, ita Marsil. in practic. crimin. §. aggredior. numero 13. per glos. in cap. DEVS omnipotens. 2. q. 1.

DENIQVE lex permittens maritis occidere vxores adulteras, prebet maritis causam calumniandi vxores & mala perpetrandi, maximè si non ament vxores: Ergo non est permittendum maritis occidere VXORES etiam adulteras. Couar. supra citato loco. 23

Verum hanc quæstionem pulchra distinctione explicauit atq; discordes Doctorum sententias in concordiam redegit Clariss. I. V. DOCTOR THOMAS METZGERVS Institutionum Imperialium FRIBVRGENSIS Academiæ PROFESSOR ordinarius, PRÆCEPTOR quondam meus priuatus in tractatu rerum criminalium cap. de adulterio, quem mihi & meis commilitonibus priuatim prælegerat.

Aut

Aut enim, inquit, ſententia adulterij lata eſt à Iudi-
24 ce, aut non eſt lata.

Priori caſu poteſt Iudex poſt ſententiã à ſe latã priuato copiam facere ſententiæ exequendæ, adeoq; adulteri occidendi. Quid enim refert ſententiam ritè latam ipſe carnifex, an verò alius priuatus exequatur?

Et cùm Iudex poſſit carnifici dare facultatem exequendi, cur non marito, vel alij priuato? Poſteriori caſu, quando ſcilicet ſententia adulterij lata non eſt, tũc per legem ſic conſtitui non poteſt, ut priuatus aliquis adulterum occidat, ita poſt Dominic. de Soto lib. 5. de Inſtit. & Iur. q. 1. art. 3. Metzgerus notato loco.

Ratio huius eſt: Quia ante ſententiam latam, nemo eſt pœnæ ſubiiciendus, maximè corporali.

Eſt enim planè contra rationem, & ius naturale, ut ante condemnationem legitimam per ſententiam faciendam ſupplicium de aliquo ſumatur.

Ratio rationis eſt: Quia Ius naturale dictat, ut delinquens prius audiatur, antequam ſupplicium ſubeat. text. in cap. ſuſceptis. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. & in c. Iudex. 1. q. 7. refert. & ſequitur. idem Dom. de Soto lib. 1. de Iuſtit. & Iur. q. 6. art. 6. & Metzgerus d. loco.

His ita præmiſſis facilè eſt reſpondere ad argumen-
25 ta pro huius quæſtionis parte affirmatiua propoſita. Etenim ad primum argumentum, & ſic ad cap. ſi verò, el. 1. de ſent. excom. reſpondetur, remitti eo caſu pœnam excommunicationis, qui clericum percuſſerit, non quia licitè percuſſerit clericum cum vxore deprehenſum, ſed propter iuſtum illum dolorem, quem non poteſt quis facilè temperare. iuxta d. L. ſi adulterium. §. Imperatores ff. ad L. Iul. de adult.

Quare non ſequitur, Pontifex tali caſu remittit ſententiam excommunicationis : Ergo non peccat percuſſor.

Poteſt enim Pontifex iuſtis de cauſis priuilegium hoc clerico auferre,& percuſſori remittere pœnam excommunicationis,etiam ſi percutiens peccet.

Nam percuſſor clerici,ſi ſit excommunicatus,ideò eſt,quia non iuſtam percutiendi cauſam habuit.

Deinde lege ciuili non licet marito quemlibet adulterum occidere,aut percutere ut ſupra dixi, ſed tantùm vilem : Igitur clericum deprehenſum cum vxore nec lege Ciuili licebat percutere cum vilis nõ ſit.Couar. allegato.§. 7. numer. 10. refert & ſequitur Metzger⁹ d. loco.

Ad ſecundum,nempe c. interfectores. 33. q. 2. reſpondetur,argumentum à contrario ſenſu non procedere,ſi diuerſum ſit iure ſtatutum,aut ratio diuerſum dictet,ut hoc caſu noſtro.ita Nicol. Euerhard. in locis legalib.loco à contrario ſenſu. 26

Deinde reſpondetur cum gloſ.ibi,quod ſubintelligi & ſubaudiri debeat dictio (maximè) ut ſit iſte ſenſus, non licet vxorem occidere maximè ſi non eſt adultera.Metzger⁹ citato loco.

Ad tertium argumentum reſpondetur in Canonibus allegatis referri quidem, ſed reprobari legem mundanam ſeu ciuilem permittentem adulteræ occiſionem ante latam ſententiam. 27

Ad quartum dicitur negando minorem. Eſt enim talis lex iniqua, quæ ante ſententiam permittit occiſionem adulteri vel adulteræ. 28

Vltimum argumentum habet locum,ſi lata ſit ſen- 29

tentia, antequam autem feratur nemini fas est occidere adulterum. ita Metzger⁹ d. loco.

## Ex Capite vltimo summarum.

1 *Matrimonia post diuortium tribus modis retintegari possunt & nu. 3. & 5.*
2 *Mulier adultera marito reconciliata dotem non amittit.*
4 *Sententia diuortij quo ad thorum, an transeat in rem iudicatem?*
6 *Sententia contra Matrimonium lata, à qua non fuit appellatum comperto errore quomodo rescindatur.*

## CAPVT VLTIMVM.

## *De Redintegratione Matrimonij.*

HACTENVS causas, quibus Matrimonium partim quo ad vinculum, partim quo ad thorũ & cohabitationem dissoluitur perstrinxisse sufficiat, superest nunc Coronidis loco de Redintegratione Matrimonij paucula subijcere.

1 SCIENDVM est ergò, quod Matrimonia etiam post diuortia tribus modis retintegrari possint.

Primo Mutua reconciliatione, 1. Corinth. 7. & c. placuit. 32. q. 7. cap. ex parte, de sponsalib. cum similib. Per quam omnia in pristinum statum rediguntur. VNDE 2 infertur primo, quod mulier dotem, ob adulterium perpetratum, non perdat, si marito sit reconciliata cap. plerunq;

runq;,de donat.inter vir.& vxor.& L. ſi mulier ff. ſolut. matrim. Deinde infertur, quod mortuo marito, habeat contra eius hæredes actionem de dote ſibi ſaluam.

SECVNDO redintegratur Matrimonium, ſuperueniente adulterio à parte illius, qui petijt diuortium, cap. ex literis, de Diuort. Vbi Abb. inquit eſſe caſum ſingularem, qđ adulterium viri & vxoris compēſetur non ſolùm ante, ſed etiam poſt ſententiam diuortij latam, ita ut ſi vir innocens poſt ſeparationem ob adulterium vxoris factam, ſe non contineat, debeat Matrimonium redintegrari non tam officio Iudicis, quam petitione vxoris, & Iudex poteſt & debet maritum cogere, ut recipiat vxorem. d. cap. ex literis & cap. tua nos, el. 2. de Iureiur. & d. cap. ex parte. 4

Sed & innocens poteſt coniugem nocentem in cōſortium coniugale petere & ſibi reconciliare d. cap. ex literis, & d. cap. ex parte.

ETENIM ſententia diuortij, quo ad ſeparationem thori & cohabitationis in fauorem eius, qui ſeparationē poſtulauit lata, ita tranſit in rem iudicatam, ut ſi ipſe velit poſſit alterum coniugem rurſus in ſocietatem coniugalem petere & recipere, d. cap. ex literis, & d. cap. ex parte cum ſimilib. 5

Quod ſi nocens coniunx nolit redire ad innocentem, poteſt innocens petere cogi etiam inuitum. d. cap. ex literis, vbi gloſ. verb. redire compellas, & d. cap. ex parte.

Ratio eſt: Quia qđ fauore innocentis introductum eſt, in damnum eius retorqueri non debet L. quod fauore C. de legib. & gloſ. d. cap. ex literis.

TERTIO redintegratur Matrimoniū, ſi ꝑ errorem for-

tè factum esset diuortium: Nulla enim sententia contra Matrimonium lata ita transit in rem iudicatam, quin comperta veritate retractari possit text. expressus in cap, lator de sentent. & reiudic. & in cap. fraternitatis. vbi glos. de frigid. & malefic.

Victus tamē in causa diuortij qui non appellauit à sententia diuortij, non potest etiam comperto errore sententiæ, eius reuocationem petere, sed poterit in separationem Matrimonij consentire, arg. c. quod Deo pari. 33. q. 5. Abb. in d. cap. lator. colum. penult. & ibi Felin. 8. declarat.

Verùm vterq; addit hoc procedere, nisi sit timor fornicationis in ipsis coniugibus ita separatis, tunc enim potest ex officio Iudicis de errore sententiæ cognosci, & eo cognito Iudex compellere potest maritum & vxorē vitam coniugalem agere ex his quę notantur in cap. 1. de conuers. coniug. & in d. cap. tua nos, el. 2. de Iureiur. Couar. 4. decretat. 2. cap. 8. §. 12. nu. 20.

6 ILLVD tamen omittendum non est, quod sententia contra Matrimonium lata, à qua intra decem dies non fuerit appellatum, etiam comperto errore per appellationis remedium non reuocetur, sed eum, qui hanc sententiam improbare velit, omninò probare debere eius errorem & iniquitatem coram primo Iudice, qui sententiam tulit.

Etenim quod appellatio non fuerit interposita, maxima præsumptio est pro sententiæ iustitia. glos. communiter recepta in d. cap. lator, quæ comprobari potest ex cap. cum inter, de sent. & re iudic, & L. Herrennius. § Caia & ibi glos. ff. de euiction. Abb. & alij in cap. quoniam contra. de probat. Alciat. in tract. de pręsumpt. reg.

reg. 3.præſumpt. 9. Couar. d. loco. nu. 12. ubi ſubiungit. ut iſta ſententia reſcindatur, oportere victum vti noua querela,& nouo libello hancq; nouam querelam proponere coram eo Iudice, qui primam ſententiam tulit, vel coram eo,qui adiri poteſt per ſimplicem querelam, non autem coram Archiepiſcopo Metropolitano, qui Iudex ſolùm eſt appellationis inter ſubditos Epiſcopi per text. in cap. paſtoralis.vbi gloſ.& Doct. in prin. de offic. ordin. & cap. venerabilibus, in prin. de ſentent. excom. in 6.

Deniq; hanc cauſam non poſſe ad Metropolitanũ deduci principaliter,etiam ſi agatur contra primam ſententiam ex eo,quod nul fuerit, cùm Archiepiſcopus Metropolitanus per viam hanc,qua ſententia nulla dicitur,non ſit Iudex inter Epiſcopi ſubditos, uti ex ratione d. cap. venerabilibus notant.Franc.in cap.dilecto.de appellat.quæſt.7.& alij allegati à Couar.d.loco.

Hæc ſunt,candide Lector,quæ in materiam Diuortiorum priuato ſtudio collegi,& quæ tibi ſuaſu & hortatu clariſſimorum & doctiſſimorum virorum communicare volui, ex quibus ſiquid vtilitatis perceperis, non mihi,ſed Deo ter opt.Max.a quo omnis eruditio & ſcientia proficiſcitur & promanat, & in quem meritò refluere debet,gratias ages: Et horum publicationem,non vanam ingenij mei oſtentationem, quæ in me planè nulla eſt,ſed tuam vtilitatem,cauſam fuiſſe pro certò tibi perſuades.

Quod ſi ex his minorem hauſeris fructum, Anthori vixdum virilem ætatem igreſſo veniam præſtabis, & ea, quæ ab eodem minꝰ probè ſcripta ſunt in melius candidè corriges,nec non quod his deeſſe cognoueris citra in

uidiam adiunges. Ego enim hæc omnia qualiacunq; sint in primis Ecclesiæ Catholicæ, deinde Clarissimorum Dominorum Academiæ Friburgensis Iuridicæ facultatis Professorum, Præceptorum quondam meorum fidelissimorum, & deniq; cuiusq; Catholici doctioris & melius sentientis iudicio vltrò, libentissimè, & ingenuè submitto, quorum censuræ hac in corrasione stare aut cadere sum paratissim⁹, ea insuper addita; protestatione, ut siquid à me scriptum sit, quod vel minimo, recto & vero Catholicæ Ecclesiæ sensui & iudicio refragetur, & repugnet, quod illud pro non scripto habere velim.

*TRACTATVS DE DIVORTIIS*
*AVTHORE GEORGIO MOR. V. I. D.*

*F I N I S.*

Laus Deo Virginiq; Matri Mariæ

# AD PRIMOGENITVM D. AVCTORIS FOETVM HEBDASTICON

Adami Cellarij Iuris vtriusq; Licentiati.

*EST graue diuinos tædarum soluere nexus,*
*Quos sine litê Deus iußit habere thorum.*
*Absq; graui dirimit nec talia fœdera prisco*
*Ecclesiæ Iudex, Iudicis officio.*
*Qua ratiōe queant impunè hæc vincula solui*
*Hic liber immenso fœnore doctus habet.*
*Ingenio natus raro fœliciter exi*
*Docte liber, multis aduena gratus eris.*

*Inui-*

*Inuidus aut ſcriptis, aut ſi te voce laceſſet,*
*Doctrinâ patris te tueare tui.*
*Absq; morâ* MORVS *dudum benè cognitus orbi,*
*Zoileam præſtò vendicat inuidiam.*
*Nec Themis alma ſinet mater dulciſsima prolem*
*Victuram genio, crede, carere ſuam.*

Rerum

# ERVM ET VERBORVM INDEX LOCVPLES.

Primus numerus partem, alter caput, tertius numerum marginalem, quartus paginam designat.

Legi

*Matri-*

❧

*Nemo*

mari-

*FINIS.*